eſt. Etenim concupiſcentia radix eſt omnium iniquitatum; ſed cum iſta concupiſcentia gravibus urgetur neceſſitatibus, quas non gignit injuſtitias, quæ ſcelera parit? Jeſu Chriſti pauper in ſua paupertate propugnaculum invenit, quod ipſum a ſalutis noſtræ inimicorum inſultibus, a violentarum affectionum impetu protegit: hoc eſt virtutis ejus aſylum. *P. Croiſet tom. 1. Spiritualium Conſiderationum.*

Abuſus, & illuſio corũ, qui in religione nullum pati poſſunt incommodum.

Quænam paupertatis ſpecies eſt, S. Bernardus ait, nolle ſibi quidquam deeſſe eum profitenti ſtatum, qui rebus omnibus carere debet? Rebus in omnibus quærere commoda ſua in vita humili, & mortificata; invenire ſemper, qui noſtris occurrat neceſſitatibus, cum illud abnegamus jus, quo nobiſmet conſulere poteramus: & poſtquam bonis omnibus exuti ſumus propter amorem Jeſu Chriſti, ſacrificii, quod fecimus, jacturam quadam rapinæ ſpecie reparare, ut in rerum affluentia, deliciiſque vivamus; bona fide, nonne hoc eſt in ludibrium vertere religionem, ſibimet per libidinem imponere, ac dum ſalvi fieri volumus, in interitum ruere? Et ſane quis nollet hac conditione pauper eſſe, ut nihil ſibi deſit uſquam, ut ea omnia, quæ ſibi placuerint, habeat, quin ſubire teneatur onus omnibus vitæ ſuæ neceſſitatibus providendi? Qui in ſæculo magis commodam vitam ducunt, nonnumquam minus delicati ſunt, quam afferti hi pauperes Jeſu Chriſti, quorum mollities ad exceſſum uſque procedit. Satis eſſe dicere, S. Bernardus inquit, voviſſe paupertatem, ut jus obtineres conquerendi de iis omnibus, quæ minime arrident, utque impenſius ſuperfluum quæreres, quam, qui in mundo verſantur, neceſſarium conquirant. Ita auguſtum pauperum Jeſu Chriſti præſeferentes titulum divites fieri volunt. Supellex, commeatus, humana prævidentia, conſilia, hi ſunt exiſtimationis, & induſtriæ fructus. Plures etiam magis delicate in religione vivunt, quam vixiſſent in ſæculo, idem Sanctus addit. Sed qui in mollitie, & affluentia vixit, invenitne in altera vita fructus eorum, qui vere ſunt pauperes Jeſu Chriſti? Numquid ad hoc redigitur hæc adeo perfecta ſpoliatio, & evangelica paupertas, cui Salvator in hac vita centuplum, æternamque promiſit felicitatem? . . . Voluntarii pauperis titulus eritne honor illi, qui nihil ſibi deeſſe vult? Et audacter dicere poterit: Ecce nos reliquimus omnia, ut te ſequeremur? Quid ergo nobis erit? Matth. 19. *Idem.*

Paupertas religioſorũ eximit curis tuẽdi bona ſua, & victum ſibi comparandi.

Quibuſnam periculis eos, qui in mundo vivunt, objicit neceſſitas victum ſibi comparandi, ſuaque bona ſibi, filiiſque ſuis conſervandi? Plerique mortales ita huic vacant curæ, ut id cogitent unum, & pauci ſunt, quos hæc ſollicitudo ad injuſtitias, vel potius ad periculoſa negotia non adigat: quamobrem Apoſtolus: 1. Timoth. 6. dixit: *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Hæc autem malorum omnium origo in anima veri religioſi exhauſta eſt. Alii terrenarum rerum curis implicantur; his ille non appellit animum; fruſtra enim appelleret, & curæ, cogitationeſque ſuæ ipſi prodeſſe non poſſent. Veritas dicenda eſt: votum paupertatis, quod nuncupant religioſi, nullum reale bonum illis aufert, & nihil aliud ipſis eſt, quam curarum, inutilium, periculoſorumque laborum imminutas. *Eſſais de Morale tom. 10.*

Paupertas plurimis eſt occaſio peccati.

Si rerum copia ſua habet pericula, paupertas in ſæcularibus habet ſua: *propter inopiam*, Eccleſiaſticus cap. 27. inquit, *multi deliquerunt*. Hoc in ſenſu Salomon a Deo petebat mediocritatem, quæ illi neceſſarium ſuppeditaret, ſciens, quanta in egeſtate, quanta in affluentia pericula inveniantur: *mendicitatem, & divitias ne dederis mihi &c.* Prov. 30. Niſi nobilibus, & ſupernaturalibus cauſis fulciatur paupertas, animam dejicit, rationem, & religionem infirmare videtur. Adeo repit, ut vix cogitet in cœlum oculos attollere; a terra ſubſidia omnia expectari videntur. Diceres ſenſus, pietatemque ipſam ſequi qualitatem conditionis, in qua ſumus. Veſtis ſqualida, vacua domus, obſcuritas, in qua vivitur, contemptus, in quo ſumus, quin virtutem foveant, depurentque, illam infirmant. Egeſtas obtundit mentem, ſi chriſtiana deſit pietas. Status hic non ſpectetur niſi ex ea parte, quæ melius illius prodit humilitatem, quin animus attollatur umquam ad conſilia divinæ providentiæ, quæ noſtram ſemper ſpectat ſalutem. In periculoſis idgenus diſpoſitionibus nutat fides, deficit confidentia; abjecti ac terreni tantum ſenſus, cogitationeſque foventur. Deficiente confidentia puſillanimitas, puſillanimitati vero animi dejectio ſuccedit, & inde fit, quod pauperes, quorum conditio tanto honore digna eſt apud fideles, quotidie ſeſe præbeant minus dignos gratiis, quas illis conferre vellet Deus, atque periculum ſubeunt intereundi eo in ſtatu, qui ad ſalutem obtinendam adeo utilis eſt. *P. Croiſet tom. 2. Conſiderationum.*

Quã rara inter fideles paupertas ſpiritus.

Ubi ſunt fideles, qui in paupertate divitias non appetant, vel qui in divitiis paupertatem ſpiritus ſervent? Quid mihi hoc in argumento dicendum non eſſet, ſi narrare poſſem, quouſque hac in re mundi ſpiritus ſpiritui evangelii opponatur? Videtur mihi, Chriſtiani, in ipſo eccleſiæ ſinu reflorefcere ſacrilega illa Iſraelitici populi idololatria, cum ad pedes terribilis montis, ubi fulgura inter, atque tonitrua Deus illis legem ſuam irrogabat, Moyſem non videntes, & viſibilem quærentes Deum, cui thura adolerent, genua flectere viſi ſunt aureo vitulo dicentes: Hi ſunt dii, qui ſervarunt Iſrael. In Chriſtianiſmo ad pedes montis Sion, ubi imago Dei nati in præſepio, & in cruce mortui, addita eſt vi magni hujus exempli, & maledictis, quibus divites in evangelio percutiuntur, Iſrael univerſum coram aureo vitulo proſtratum videmus. Chriſtiani omnes idolo divitiarum ſacrificant ſibi ultro citroque dicentes: hic Deus noſter eſt; hoc aurum, hoc argentum contra omnia vitæ mala nos proteget. *Abbas du Jarry ſermone pro die Nativitatis Domini.*

Dei filius pauperes divitibus præfert.

Quantumvis inane ſit coram Deo conditionum diſcrimen, quamvis Deus in Scripturis glorietur ſe omnibus æqualem eſſe, non generis, non honoris, non perſonarum acceptatorem. *Non eſt perſonarum acceptaptor Deus:* Verum nihilominus eſt, in ordine gratiæ, prædilectionem Dei, ſi hoc verbo licet uti, erga pauperes, & humiles potius, quam magnos, & divites enituiſſe. Cauſam hujus rei non inquiramus, nobiſque ſufficiat adorare conſilia Dei, qui ſecundum Apoſtoli verba miſeretur ejus, cujus vult, & juſtitiam, cum quo vult, exercet. Prædilectionem Dei, quam omne nobis prædicat evangelium, ſed quæ palam, atque authentice nobis indigitatur per ea verba, quæ ille Joanni Præcurſori ſuo nunciari voluit: *Pauperes evangelizantur.* Matth. 11. *P. Bourdaloue Serm. 2. pro die Nativitatis.*

Paupertas ſpiritus in ſæcularibus rara.

Dei filius terribile ejaculatus eſt maledictum in divites, cum palam edixit, vix, & ne vix quidem fieri poſſe, ut regnum ſuum ingrediatur; quod eo ſpectare videtur, ut illi, qui ſalvi fieri volunt, teneantur paupertatem amplecti, & renuntiare bonis, quæ legitime etiam poſſident; perinde ac iſta poſſeſſio ſimul cum evangelio poſſet conciliari. Eccleſia tamen nacta eſt temperamentum, quod in ſpeciem lenit hujus abnegationis duritiem, ſed quod reipſa nequaquam facilius eſt, quemadmodum probat experientia. Quodnam autem hoc eſt temperamentum? Eſt animum habere a divitiis avulſum, inter opes eſſe pauperem ſpiritu, beatos cenſere illos, qui voluntarii pauperes ſunt, & qui rebus omnibus renunciarunt; beatitudinem ſuam non in temporali proſperitate conſtituere; non invidere mundanorum fato in luxu, copiaque viventium; non contemnere miſeros, qui bonis ſæculi vacui ſunt; non ſe tradere cupiditati poſſidendi bona hæc fluxa, & fragilia, neque curæ eadem tuendi; non intumeſcere præ ſuperbia, cum poſſidentur; non turbari, cum periculum eſt illa amittendi; neque dolere, & omne prohibere ſolatium, cum fuerint amiſſa. Hoc eſt eſſe pauperem ſpiritu; ſed quotuſquiſque hujus characteris in mundo invenitur? *P. Cheminais Sermone de Jeſu Chriſti Nativitate.*

Paupertas in ſeipſa non eſt virtus, ſed talis fit propter rationẽ, propter quam illam amplecteris.

Paupertas per ſe meritoria non eſt, ſed talis efficitur cauſa. Non deſunt divites qui in rerum copia ſunt pauperes ſpiritu, & cor habent ab opibus alienum: non deſunt pauperes, qui in ipſa egeſtate flagrant amore divitiarum, & divites ſunt affectu: ſed nihil infrequentius eſt, quam invenire divites, & pauperes, qui paupertatem ament, qui amplectantur illam, cum ab eadem immunes ſunt, vel qui in eadem ſibi complaceant, cum in illa inveniuntur. Nihil infrequentius eſt, quem fideles invenire a terrenis opibus ita alienos, ut nihil expectent, niſi ab eo, qui volucres alit, & flores, atque arbores veſtit. Hoc vidit, & admirata eſt eccleſia in tot Sanctis, qui omnia deſeruere, ut Jeſum Chriſtum ſequerentur. Sapientes quidam Ethnici ultro ſuas abdicarunt opes, & gloriati ſunt, ſe omnia bona ſua ſecum ferre; ſed ſuperbæ ſingularitatis adſectatio cauſa erat hujuſmodi abdicationis, & eo magis ſuperbi fiebant, quo pauperiores. *Abbas de Jarry in Panegyrico S. Franciſci Aſſiſinatis.*

Immerito mundus contemnit pauperes.

Sanctus Paulus 1. ad Corinth. ait, Dei ſervos; inter quos pauperes voluntarii principem obtinere locum debent, exiſtimari *tamquam purgamenta hujus mundi*. Deus ita permittit, ut in hac ipſa vita incipiant lolium a tritico, & fruges a paleis ſecerni. Filii lucis cum filiis tenebrarum vivere nequeunt: quamvis in ſpeciem confuſi, reipſa morum oppoſitione ſeparati ſunt. Eos rejicit mundus, quia illos ſe minime dignos exiſtimat, ſed potius mundus illis dignum non eſt, idem

idem inquit Apoſtolus ad Hebr. 11. *Quibus dignus non erat mundus. Idem.*

Paupertas nos humilians attollit.

Paupertas nos humiliat, cum nos ad nihilum redigit, cum facit objecta opprobrio digna, cum nos famem, frigus, & perſecutiones pati jubet; ſed hæc ſimul paupertas nos attollit efficiens nos ſimiles filio Dei, qui in omni ſtatu fuit, qui rebus in omnibus paſſus eſt, & qui ne habebat quidem, ubi caput reclinaret. Hinc Clemens Alexandrinus verum pauperem, qui perfectum facit ſuæ paupertatis uſum, *Nudam Dei imaginem* vocat, imaginem, quæ ad vivum exprimit Jeſum Chriſtum, quæ ad unguem repræſentat omnium vitæ hujus bonorum privationem. Verbo, per fidem credentes, quidquid ſenſibus noſtris, intellectui, ac rationi oppoſitum eſt, noſmet humiliamus; ſed ſimul noſmet æque ac Angelos attollimus, quia idem principium, eamdem veritatem, eumdemque cognoſcimus Deum. Ita paupertas, quæ nos in terræ bonis humiliat, nos ſuper cætera attollit, Deo propiores, eique perfecte ſimiles faciens. *Pater Maſſon Sermone 3. Adventus.*

Quem fructum religioſus perciperet, ſi poſtquam omnia fortunæ bona abdicavit, alios ſervaret affectus? In hac abdicatione non aliam habere cauſam debet, qua ſemet tradendi Deo ſine ulla diviſione, eique inſerviendi in profunda pace, & applicatione, quæ turbari nequeat curis, ac ſollicitudinibus, quæ in terrenarum rerum perfruitione ſemper inveniuntur. Attamen cum noſtrum cor, ut Scriptura loquitur, ibi ſit, ubi noſter eſt theſaurus, cumque iis vinciamur objectis, quæ diligimus, & quæ nobis placent, ille Deo partem ſuiipſius dumtaxat tribueret, & quin illum abſolutum conſtitueret dominum, regnum illius, quod nullos patitur terminos, circumſcriberet, & quadam ſacrilegii ſpecie id illi auferret, quod ſibi vellet reſervare; ac in ſe illius iram, indignationemque converteret, imperfectam eidem offerrens victimam, cui holocauſtum ſacrificare deberet. *Abbas Trappenſis tom. 1. de officiis, & ſanctitate vitæ monaſticæ cap. 5.*

Sancti Patres. Fructus religioſæ paupertatis.

Religioſa paupertas, ac integra omnium terræ bonorum abrenunciatio eſt fractura vinculorum vitæ hujus terreſtris, atque tranſeuntis, vacatio ab omni humanorum negotiorum genere, quæ nos alacriores, atque promptiores facit, ut in Dei viam ingrediamur, favorabilis occaſio gaudendi, & poſſidendi ſine ullo obice, quidquid magis prætioſum eſt, & quod auri, lapillorumque pretium exſuperat. Denique, ut totum illius meritum intelligamus, impetus eſt admirabilis, qui cor humanum ad converſationem prorſus cœleſtem traducit, utque fructuum omnium maximum exprimam, initium eſt noſtræ ſimilitudinis cum Jeſu Chriſto, qui cum dives eſſet, propter amorem noſtrum factus eſt pauper: & hæc diſpoſitio nobis eſt adeo neceſſaria, ut niſi illam amplectamur, numquam valeamus ducere vitam religioſorum ſtatui conformem, neque eſſe Dei, quemadmodum eidem recipimus. *Idem.*

Deus unus eſſe poterat Auctor Evangelicæ paupertatis.

Dei unius erat mundo Evangelicam annunciare paupertatem, eamque beatam vocare. Quod philoſophi quidam opes ſuas in mare projecerint; quod ſexcenta ſibi exigua commoda interdixerint, quæ innocenter ſibi procurare poterant; quod pannoſis veſtibus uti adfectaverint: difficile non fuit ſuperbæ hujus indigentiæ repetere originem, inanem videlicet gloriam, ac inter cæteros nitendi cupiditatem. Vera paupertas nonniſi Deum habere poterat legiſlatorem, & exemplar: uni illi reſervatum erat jus diſcipulos congregandi, homineſque eligendi, qui fideles non præceptorum tantum, ſed etiam conſiliorum obſervatores præſentibus bonis, futuræ etiam ſpei renunciarent, nihil tamquam proprium poſſidere volentes, ut facilius in via perfectionis incederent, ac propius divinum magiſtrum ſuum ſequerentur. *Ex Dictionario morali, ſermone ſecundo de divitiis.*

PAX.

Pax cordis, fallax pax peccatorum, pax ex bona conſcientia perfecta.

MONITUM.

HOC in loco verba facimus de interiori animæ pace, cum de vera pace, quæ bonorum eſt propria, tum de fallaci propria peccatorum, qui conſcientiæ ſuæ ſtimulos obtundere adnituntur. Etenim quamvis triplex diſtinguatur pacis genus, ejus videlicet, quam cum Deo, cum proximo, & cum nobiſmetipſis habemus, de poſtrema hac tamen loquemur ſolum; quandoquidem de pace cum Deo locuti ſumus in titulo de peccatoris converſione, quæ complectitur pacem, & reconciliationem cum hoc Deo miſericordiarum; & de pace cum proximo egimus, ubi de charitate, alibique, cum de diſcordia, ac diviſione fuit ſermo. Fatendum nihilominus eſt, pacem cordis, quam pacem cum nobiſmetipſis vocamus, cum ſeparari nequeat a pace cum Deo, hanc a nobis ſemper ſuppoſitum iri, vel ſicubi accidet ſermo, hoc indirecte tantummodo eventurum.

Animadvertendum quoque eſt, nos alibi jam locutos fuiſſe de conſcientia bona, mala, & erronea titulo peculiari, quæ quidem res eadem eſſe videtur, ac pax animæ perfecta ex ea conſcientia, quæ nihil exprobrat ſibi, nullius criminis conſcia. Verum cum duo hæc argumenta a concionatoribus ſeorſim pertractentur, nos quoque de iiſdem ſimiliter agemus, quin ea, quæ dicta fuerunt, rurſus iterare teneamur; ſatis enim ſuperque ſuppetit copia utrique argumento.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. CUM iſtic de animæ tantum pace loquamur, pax hæc communis eſſe poteſt & juſtis, & peccatoribus, atque Scriptura ipſa meminit utriuſque. Verum cum ex diverſis proficiſcatur initiis; pax videlicet juſtorum ex conſummata virtute, arctaque unione cum Deo, peccatorum vero ex conſcientia ſceleribus aſſueta, quæ omnem criminis ſenſum abjecit, in duplici concionis parte oſtendemus, primum nihil juſtorum pace pretioſius eſſe, optabilius, atque utilius: ſecundo nihil eſſe funeſtius pace impiorum, quippe quæ manifeſtus eſt reprobationis eorum character, & ferre inevitabile æternæ damnationis eorum periculum.

Pars prior. Poſtquam oſtenſum fuerit, veram cordis pacem fructum eſſe mortis, & paſſionum hominis Dei, oſtendendum eſt, 1. nihil hac eſſe pretioſius, atque præſtantius, quippe nota eſt, ac ſignum perfectæ reconciliationis cum Deo, amicitiæ ejuſdem pignus, & bonum, verbo, omnibus terrarum bonis præferendum: voluptas, quæ omnia exſuperat gaudia, quæ in vita hac guſtari poſſunt, quam Sapiens juge convivium appellat. Neque melius intelligi poteſt pretium ejus, quam ex cruciatibus, quos peccatum ejuſdem contrarium malæ adfert conſcientiæ. 2. Hoc bonum eſſe optabilius, quoniam, uti S. Auguſtinus ait, finis eſt omnium votorum noſtrorum, perquiſitionum, atque laborum, cum ob id unum bellum ſuſtineatur, ut pace, & requie perfrui valeamus. Cum autem hæc pax, & humani cordis requies inveniri nequeat in omnium mundi hujus bonorum perquiſitione quæcumque illa ſint: in uno Deo, qui bonorum omnium eſt fons, & qui unus vaſta cordis noſtris replere poteſt deſideria, inæſtimabile hoc bonum invenitur, cum per gratiam poſſidetur hic Deus, qui quocumque fert pacem, & ubicumque illam conſtituit; quamobrem vocatur Deus pacis, & totius conſolationis: ita ut juſtus

ſtus nihil majus, nihilque pretioſius valeat optare. 3. His addendum eſt juſtos nihil petere, neque Deum illis concedere poſſe utilius; hoc enim noſtram in hac vita felicitatem conſtituit, & quamdam veluti prægu-ſtationem cœleſtium voluptatum, ſolidumque bonum, quod nolentibus auferri non poteſt; & ſi in hac pace ſolidati fuerimus, adverſa omnia, omnia infortunia, & illi ipſi, qui nobis infenſiſſimi ſunt inimici, eam perturbare non poterunt. Verum enim vero illud meminiſſe opus eſt, ad hanc felicitatem, requiem, optabilemque pacem perveniri non poſſe niſi per victoriam, quam de affectibus noſtris, vitiiſque reportamus, & per diuturnam virtutis exercitationem, ac tandem longum noſtræ in Dei ſervitute fidelitatis experimentum.

Pars altera; nihil magis funeſtum eſt, quam pax illa, qua in ſceleribus ſuis peccatores fruuntur. 1. Quia pax iſta, & requies oriri non poteſt, niſi ex pertinacia animæ, quæ omnes conſcientiæ ſtimulos, omneſque religionis ſenſus amiſit; ita ut peccatum illi non amplius faceſſat negotium, nullamque illi moleſtiam afferat, ut olim cum timor Judiciorum Dei, infenſis æternitas, & quidquid alios peccator perterret, nullam vim habent in eo, qui letargico ſomno obrutus eſt: ita ut quin ullum exerat conatum ex eo ſtatu evaſurus, in eo ſibi placeat, ibique ſuam pacem, & oblectationem inveniat; pacem, inquam, ſæviſſimo quocumque bello funeſtiorem &c. 2. Quia pax hæc inde oritur, quod impium penitus dereliquit Deus, qui non turbat amplius requiem illius, ut olim, nec uti aliorum peccatorum pacem perturbat, qui ad vivum conſcientiæ ſuæ vulnera ſentiunt. Deus illorum gaudiis, & voluptatibus ſexcentas immiſcet amaritudines, quemadmodum teſtatur S. Auguſtinus de ſeipſo loquens: *Miſcebas mille amaritudines*: utque cum Scriptura loquar, ſpinis ſerit viam iniquitatis, ut peccatores ad ipſum redire cogantur. Sed ubi illos ſinit pacate frui ea requie, quam in ſcelere inquirunt, argumento eſt, hos ab illo deſeri, & pacis, atque lætitiæ beatorum participes nequaquam futuros. 3. Quia pax hæc funeſta, qua pecator fruitur, manifeſtum eſt argumentum illum penitus victum eſſe, omnibus affectibus devinctum, mundo mancipatum, ac dæmonis ſervituti ſubjectum. Vivit in pace, quia non audet reſiſtere alicui ex inimicis ſalutis ſuæ, ac deſperans ſe regnum pacis, quod fidelibus famulis pollicetur, ingreſſurum ea contentus eſt, quam mundus ſuis concedit mancipiis.

II. Ut nobiſcum pacem habeamus, quæ illa proprie pax eſt, quam pollicitus eſt Deus, & quam diſcipulis poſt reſurrectionem ſuam tradidit; 1. habenda pax eſt cum Deo per reconciliationem perfectam; qui enim Deum habet inimicum, & qui ejuſdem imperiis, & voluntati reſiſtit; hic pace numquam frui poteſt: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit*, ut ait S. Job cap. 9. 2. Pax cum proximo habenda eſt, nam donec cum illo diffidemus, invidia, odium, ultio, ira pacem noſtram perturbant; ſemper ab illo nobis cavemus, atque diffidimus; ac ipſi majorem experimur dolorem, & moleſtiam ea, quam illi inferre valeamus. Hoc argumentum complectitur pacem omnem, quam allaturus Salvator venit in mundum, pacem videlicet cum Deo, cum proximo, & cum nobiſmetipſis.

III. Ut animæ pace perfruamur 1. juge bellum indicendum eſt corpori noſtro, hoc eſt mollitiei, concupiſcentiæ, omnibuſque illicitis voluptatibus: quia hæc omnia eum gignunt tumultum, quem in nobiſmet experimur, & quem ibi affectus excitant noſtri, ubi dotniti minime fuerint. 2. Divortium cum mundo faciendum eſt, hoc eſt abrenunciandum omnibus inſtitutis, pompis, & gaudiis ejus fidem præſtando eorum, quæ Deo in baptiſmo fuimus polliciti: neque enim ſimul gaudere poſſumus pace & ea, quam Dei filius fidelibus famulis pollicetur, & ea, quam mundus mancipiis ſuis elargitur.

IV. De cordis pace tria poſſunt oſtendi. 1. In quo hæc pax, & requies cordis conſiſtat, quam mortales omnes cupiunt, & inquirunt, & quæ omnium deſideriorum, votorumque noſtrorum ſumma eſt. 2. Quinam obices paci adeo optabili opponantur, qui, ut eadem perfruamur, infringendi ſunt; noſtri videlicet affectus, inordinata deſideria, ſenſuum voluptates, hæc enim omnia prohibent, ne pace perfruamur. 3. Quænam ſint artes illius tuendæ; magna videlicet in Dei protectione confidentia, perfecta voluntatibus ejus ſubmiſſio, inviolabilis in illius ſervitute fidelitas.

V. Cum pax ex D. Auguſtino ſit tranquillitas ordinis, ut pace fruamur, in nobiſmetipſis conſtituendus eſt ordo ad id neceſſarius, quem Deus, natura, & ratio poſtulant. 1. Hic ordo eſt, quod voluntas Deo ſubdita ſit, & affectus, atque appetitus pareant rationi. Ordinem hunc in homine conſtituit Deus in ſtatu innocentiæ; & malorum omnium origo inde effluxit, quod peccatum hunc ordinem ſuſtulit. Hinc profecta eſt carnis contra ſpiritum rebellio, pugna, & oppoſitio humorum in corpore, ac tandem omnium creatarum rerum ab homine defectio. Ita ut ad animæ pacem obtinendam reſtituendus hic ordo ſit voluntatem noſtram Deo perfecte ſubjiciendo. 2. Ut autem hic ordo ſit tranquillus, quæ neceſſaria conditio eſt, ut pacis felicitate perfruamur, affectus noſtri rationi ſubjiciendi ſunt, eorum impetus cohibendi, defectiones compeſcendæ, atque ita conſtringendi, ut nequeant perturbare tranquillitatem, quam Dei gratia opitulante ſervare, ac tueri poſſumus, quamvis non ſine graviſſimis certaminibus ſuſtinendis.

VI. De bonis, quæ Jeſu Chriſti pax nobis confert præ illa, quam mundus pollicetur, & quam peccatores ibi inveniunt. 1. Mundi pax inanem tantummodo ſpeciem habet; fallax eſt, at plerumque non aliud eſt, quam velum ſæviſſimorum agitationum, quas tegit, ac tandem externa dumtaxat, & ad cor ipſum nequaquam pervadit. Hinc fit, quod gaudium, quod ipſa parit, mere ſuperficiale eſt; ſed pax, quam nobis tribuit Salvator, ſolida eſt, atque ipſos uſque animæ receſſus pertingit, & tranquillitatem in omnibus illius facultatibus ſtatuit. 2. Pax, quam mundus largitur, fluxa eſt, & brevi duratura; quilibet caſus, quæcumque res præter ſpem accidat, quodlibet infortunium illam perturbat; cum e contra pax, quam nobis confert Jeſus Chriſtus nolentibus nequit auferri, neque caſu aliquo, ærumna, aut malo, quod ab hominibus ingruat, perturbari, quia a mundo minime pendet, &c. 3. Cum pax, quam Dei filius largitur, ſit effectus gratiæ, fructus virtutis, & innocentiæ, eſt imago, ſpecimen, & prægustatio quædam pacis alterius vitæ; cum e contra pax, quam mundus tribuit, cum principium ejus ſit crimen, & cordis depravatio, non alium habere finem poteſt, quam æternum ſupplicium.

VII. Pax cordis, qua boni gaudent, comparari poteſt cum externa pace, quæ inter duos populos ſancitur, qui diutino exerciti fuere bello, & quorum uterque duo præcipua inde commoda refert.

Primum eſt, quod utrinque ceſſant actus hoſtilitatis, ac deſinit metus, quem incutit præpotens hoſtis nihil aliud inquirens, quam occaſiones nocendi illi, cui bellum intulit. Hoc accidit in pace cordis, qua juſti fruuntur; tuti ſunt ab ictibus divinæ juſtitiæ, quam irritaverant; & fœdere icto cum Deo ibi patronum inveniunt, ubi hoſtem habebant, quamobrem inexplicabili tranquillitate fruuntur.

Alterum eſt; cum pax inter utrumque populum facta, promulgataque eſt, commercium, quod bello ſæviente interruptum fuerat, reſtituitur; unde ubique oritur rerum affluentia, ea, quæ ultro citroque rapta fuerunt, repetuntur, atque redduntur, ac tuta vita dicitur, quapropter pax exiſtimatur tamquam unum ex maximis bonis, quæ in urbana vita eſſe poſſint. Hoc ipſum de cordis pace dici poteſt; deſiit bellum, quod gerebamus cum Deo qui nobis pacem largitur: nobis reddit meritum bonorum operum noſtrorum, quod amiſeramus, & virtutes noſtræ, quæ vera bona ſunt, in tuto ſunt; preces noſtras recipit, & audit, nos ſuis cumulat gratiis, atque ſexcentos concedit favores, quos antea negabat. En commercium reſtitutum, & hujus pacis bona.

VIII. Oſtendi poteſt: 1. in omnibus vitæ ſtatibus ſolidam pacem inveniri poſſe; quia pax conſiſtit in ordine, & ſicuti peccatum tumultum injicit in animas pervertens ordinem, qui ibi eſſe debet, ita e contra virtus in illam pacem infert, quia carnem quidem ſpiritu, ſpiritum vero ſubjicit Deo: 2. fallacem dumtaxat in mundo pacem inveniri poſſe, quamcumque conditionem amplectaris, ſi mundi placita ſequeris. *Ex ſpecimine ſermonum pro tertia Quadrageſimæ Dominica.*

IX. 1. Pacem animæ, & cordis pretioſiſſimum eſſe bonum, quod in hac vita poſſideri queat. 2. Bonum hoc adeo pretioſum facillime amitti, ideoque ſumma adnitendum ope, ut ſervetur. *Ex auctore ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta in Dominicali, ſermone pro feria 3. Paſchatis.*

X. Tria interiorem pacem perturbare, atque cor humanum ſollicitare conſueverunt. Primum eſt præcipitatio; alterum agitatio ex ardenti aliquo deſiderio, vehementique affectu profecta; tertium eſt moleſti caſus, perſecutiones, & vitæ hujus calamitates. Ad pacem tuendam noſmet præmunire debemus contra triplicem hanc interioris tumultus cauſam. 1. Præcipitatio prorſus cordis requiem perturbat. Quidam ita af-

fecti ſunt, ut nonniſi ſummam in feſtinatione vivere poſſint. Numquam voti compotes ſunt, quam cum triginta ſunt negotiis impediti; quibus ubi carent, alia undequaque ſibi conquirunt. Hoc ipſorum elementum eſt, undique urgeri. Hi dolent, queruntur, & nihilominus quies ipſorum in ſuo malo conſiſtit. Pacati viri, qui pacis bonum noverunt, & guſtant, feſtinationem evitant, atque ſeſe omnino providentiæ curis tradentes, in Deum confidentes, jugi attentione illi placere ſtudentes, omnibuſque cordis ſui motibus invigilantes pacem ſuam tuentur. 2. Immortificati affectus cordi pacem auferunt. Homo violenta actus cupiditate, ira percitus, metu confoſſus, aliave ſimili ægritudine perturbatus eſt tamquam æſtuoſum mare. In Deo quieſcere nequit, & Dei ſpiritus, qui in pace tantummodo permanet, manere non poteſt in illo. Ideo quicumque ſancta pace frui cupiunt, mortificare ſtudent affectus ſuos, quibus cor urgetur, minimoſque eorum motus reprimunt, atque uni vacant Deo rati, nihil dignum eſſe, quod nos movere poſſit, niſi deſiderium placendi Deo, ac metus illi diſplicendi: Ut huc perveniamus, & adeo opimum poſſideamus theſaurum, laborandum eſt, ut motus omnes cohibeamus, nullam ibi vim ſub quolibet prætextu ferentes; atque credendum, nihil nobis antiquius eſſe debere, quam cordis pacem tueri. 3. Tertia cauſa tumultus cordis externi ſunt caſus, quibus turbamur, quia affectus noſtri excitantur: Hi autem ſunt perſecutiones, contumeliæ, morbi, infortunia: in hujuſmodi quippe occaſionibus, & propter has rationes impatientia abripimur, turbamur, & pacem amittimus. Sed hujus tuendæ ratio eſt, perfecte ſubjectum eſſe voluntati Dei, omnia ab ipſius manu recipiendo. Hæc divinæ providentiæ imperiis ſubmiſſio nos quodammodo ab omnibus moleſtis caſibus protegit, ita ut nihil pacem noſtram valeat concutere. *Ex Aſceticis Dialogis P. Surini.*

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, Auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad propoſitas concionum ſtructuras exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Aug. *l. 1. de ſerm. Domini in monte*, loquitur de pace interiori, & docet, quinam ſint viri pacifici.

Idem *l. 19. de Civit. cap.* 13. poſtquam oſtendit, pacem eſſe ordinis tranquillitatem, hoc applicat paci quocumque in homine, & quomodocumque inveniatur. Eodem libro pacis præſtantiam, meritumque generatim oſtendit, & plurima hujus argumenti pertractat.

Idem *ſerm. 8. de communibus* docet, peccatores frui non poſſe vera pace, & *ſerm.* 27. oſtendit, nos pace gaudere non poſſe, niſi hanc primum cum Deo fecerimus, & niſi a charitate proficiſcatur,

Idem *in Pſ.* 84. oſtendit pacem noſtram in cœlo tandem perfectam futuram, & ibidem probat, ad obtinendam pacem amandam eſſe juſtitiam.

Idem *in Pſ.* 143. probat ad hoc, ut in nobiſmet ipſis pacem habeamus, Deo ſubditos nos eſſe oportere.

Idem *ſive alius Auctor ſerm. 2. ad fratres in Eremo* pacis utilitatem, & ſuavitatem oſtendit.

S. Gregorius *l. 2. Epiſt. Ep.* 45. docet, ſine humilitate fieri non poſſe, ut cum proximo, & nobiſcum pacem habeamus.

Idem in hæc verba Job cap. 3. *Qui ædificant ſibi ſolitudines*, docet ædificare ſibi ſolitudines, eſſe abſtinere a curis, atque tumultu terrenarum rerum, ac profunda pace frui.

Idem 3. *part. Paſtor.* docet, neminem ſpiritualem eſſe poſſe, qui interiorem pacem non habet, nec ſervat.

Idem in aliquo moralium loco diſtinguit pacem inchoatam a perfecta, quæ pro altera tantum vita eſt.

Idem in hæc verba Job cap. 9. *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* docet, pace frui non poſſe illum, qui Deo perfecte ſubditus non eſt.

Idem *Homil.* 39. *in Evang.* docet, temporalia bona, in quibus hac in vita pacem invenimus, in altera noſtrum futura ſupplicium.

Idem *Epiſt. ad Euſebium Epiſc.* docet, quam pretioſa ac præſtans ſit animæ pax.

S. Hieronymus *in Epiſt. ad Epheſ. c. 6. & in epiſt ad Galat. c.* 5. probat inter Spiritus Sancti dona animæ pacem ex præſtantiſſimis eſſe.

S. Baſilius *Homil.* 1. *in Pſ.* 28. oſtendit, quænam ſit vera pax interior, & ex quo ſigno agnoſcatur.

Idem in hæc Iſaiæ verba: *& pacis ejus non eſt finis*, oſtendit pacem, quam dat Spiritus Sanctus, æternam fore.

S. Gregorius Nazianzenus plures edidit orationes de pace, in quarum tertia oſtendit præſtantiam pacis, quæ a Deo, procedit, & quam iſta ſit deſiderabilis.

S. Ambroſius *l. de Jacob c.* 7. oſtendit, in quo cordis pax iſta conſiſtat.

S. Chryſoſtomus *in Pſ.* 4. oſtendit interioris pacis pretium, & excellentiam ex tumultu, quem noſtri gignunt affectus.

Origenes *l. 4. in c. 5. Ep. ad Romanos* oſtendit impios, & flagitioſos homines, neque cum Deo, neque ſecum pacem habere poſſe.

Dionyſius Carthuſianus, *In operibus minoribus tom.* 2.

Granatenſis in Duce peccatorum *l. 1. c. 19. & 20.* docet, unde pax cordis procedat; quænam ſit virtus ejus, & unde fallax pax impiorum oriatur. Aſcetici aliique.

Idem lib. 2. de amore Dei cap. 14. loquitur de rationibus pacis interioris ſervandæ.

P. Alphonſus Rodriguez in tractatu de conformitate cum voluntate Dei cap. 4. & ſeq. docet, conformitatem hanc viam eſſe ad pacem, & felicitatem in hac vita acquirendam.

P. *S. Jure* lib. 3. de cognitione, & amore Domini noſtri cap. 10. ſect. 22. oſtendit cordis pacem ex affectuum mortificatione procedere.

P. du Sault in tractatu de confidentia in Deo l. 3. cap. 1. fuſius agit de vera animæ pace.

Hieronymus Platus *de bono ſtatus Religioſi* part. 3. cap. 2. oſtendit pacem, ac ſpiritus oblectationem in uno Deo eſſe.

P. Dozenne in morali Jeſu Chriſti loquitur de modis acquirendi pacem cordis.

P. Guilleminot in libro, cui titulus: Chriſtiana Sapientia cap. 11. veritate quarta, oſtendit hominem per ſapientiam, atque virtutem jugi tranquillitate poſſe gaudere.

P. Guillorè l. 3. inſtructione 7. loquitur de pace animæ, quæ divinæ innititur providentiæ.

Idem in tractatu de illuſionibus, ſeptima eſt falſa pax animæ.

P. Haineuve tomo 2. de ordine ſermone 8. prolixum habet de pace tractatum.

De Sancto Martino in tractatibus Aſceticis tomo 1. plura habet capita de pace cordis, de fallaci pace peccatorum, ac de tumultibus ſpiritus virorum bonorum.

Dialogi ſpirituales P. Surini lib. 2. cap. 2. Concionatores recentes.

Catechiſmus ſpiritualis ejuſdem.

P. Bourdalove in Adventu ſermone de Domini noſtri nativitate.

Idem ſermone pro Dominica *Quaſi modo*, ubi agit de pace ſpiritus, & cordis.

P. Texier in Dominicali ſermone pro Dominica 1. poſt Paſcha.

P. Girouſt ſermone de ſuavitate ſervitutis Dei in Adventu.

P. Maſſillon ſermone pro ſecunda Dominica Quadrageſimæ.

P. Maſſon in Adventu ſermone de nativitate Domini noſtri.

Abbas de Monmorel ſermone 4. Dominicam poſt Epiphaniam.

Specimen ſermonum pro Adventu 2. ſermone, ubi ſermo eſt de fallaci peccatorum pace.

Ibidem pro Quadrageſima, Domin. 3. & pro Dominica in Albis, ubi de vera, & fallaci pace verba fiunt.

Sermones Chriſtiani, ſermone pro prima Dominica poſt Paſcha.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta loquitur de pace cordis ſermone pro feria 3. Paſchatis.

Idem ſermone pro Dominica in Albis loquitur de falſa pace, & falſa conſcientia.

Idem in myſteriis Domini noſtri, ſermo de vulneribus filii Dei, de pace loquitur.

Granatenſis in locis communibus.

Buſæus in Viridario. Qui collectanea ediderunt.

Lohner titulo *Pax*.

Peraldus tomo 1. de Beatitudinibus parte 11.

Spanet, Polyanthea Sacra, titulo *Pax*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

QUis reſtitit ei (Deo) & pacem habuit? Jobi 9.

Acquieſcet ei, (Deo) & habeto pacem. Jobi 22.

Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis. Pſal. 71.

Pax multa diligentibus legem tuam. Pſ. 118.

Viam pacis non cognoverunt. Pſ. 13. & Epiſt. ad Rom. 3.

Inquire pacem, & perſequere eam. Pſ. 33.

Factus eſt in pace locus ejus. Pſ. 75.

Juſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Pſ. 84.

Secura mens quaſi juge convivium. Prov. 15.

Et erit opus juſtitiæ pax. Iſaiæ 32.

Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Iſaiæ 48.

Ego Dominus, faciens pacem. Iſaiæ 45.

Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluvium pacis. Ibidem 66.

Parvulus natus eſt nobis, & vocabitur nomen ejus, princeps pacis. Ibid. 9.

Erit ſicut flumen pax tua. Ibid. 48.

Viam pacis neſcierunt. Ibid. 59.

Dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Jerem. 6.

Ego cogito cogitationes pacis. Ibid. 29.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Matth. 5.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 2.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Joann. 14.

Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. Joann. 16.

Jeſus ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Joann. 20.

Non eſt regnum Dei eſca, & potus: ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Ad Roman. 14.

Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum. Ad Roman. 5.

Deus pacis ſit cum omnibus vobis. Ibid. 15.

Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum. Ib. 2.

Pacem habete, & Deus pacis erit vobiſcum. 2. ad Corinth. 13.

Ipſe enim (Chriſtus) eſt pax noſtra. Ad Eph. 2.

Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. Ad Phil. 4.

Cum dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. 1. ad Theſſal. 5.

Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris. Ad Colloſſ. 3.

Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt. Apoc. 1.

Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant. Eccl. 8.

Exempla ex utroque teſtamento deſumpta.

Noluit Deus ſibi templum a Davide ædificari, & quare.

NOluit Deus 2. Reg. 7. Davidem quamvis adeo juſtum, & ſanctum ædificare templum, ubi ſedem ſuam erat habiturus; quia rex iſte vitam inter arma, bellicumque tumultum traduxerat; ſed honorem hunc reſervavit filio ejus, qui princeps erat pacificus, ut diſceremus, illi nihil antiquius eſſe, quam in pacato, ac tranquillo corde immorari. Hac eadem de cauſa, cum ſuprema hæc majeſtas 3. Reg. 19. ſeſe Eliæ oſtendit in monte, nequaquam illi medium inter ignes, procellas, ac terræ motus ſe prodidit, ſed in leni, ſuavique auræ ſtatu; ut intelligeremus, cor illud, quod tranquillum eſt, & ab omni affectuum tumultu immune, verum eſſe Dei habitaculum.

Melchiſedech in Scripturis Rex juſtitiæ, & Rex pacis vocatus.

Pax, & gaudium, quæ noſtram in hac vita requiem, & felicitatem conſtituunt, fructus ſunt juſtitiæ, & ſanctitatis. Hoc nobis indigitant duo nomina, quibus Melchiſedech in Scripturis rex juſtitiæ, & rex pacis vocatur; quia hæc duo ita inſeparabilia ſunt, ut numquam ſine juſtitia pax, neque ſine pace juſtitia inveniatur. Ideoque inutili labore ad pacem, veram tranquillitatem obtinendam adlaborant, qui vitam ſuam ſecundum juſtitiæ regulas non componunt.

Moyſes tranquillus erat, dum Pharao cum exercitu ſuo turbaretur.

Juſtus beatum ſe putat ea in tranquillitate, quam ipſi virtus ſua parit, cum interim, non ſine quadam miſeratione videat mundanos triſtes, mœrore affectos, turbatos, agitatoſque. Ita Moyſes, & fideles Iſraelitæ tranquillo, ſerenoque vultu videbant crudelem Pharaonem, omnemque exercitum ejus fluctibus agitatos, & obrutos: ſine metu intuebantur turbas, atque tumultus miſerorum Ægyptiorum; & quin fluctuum murmur, & furor eos perterreret, Deo euchariſtica recinabant cantica. Hæc figura eſt, ſimulque exemplum pacis, neque tranquillitatis, qua juſti fruuntur.

Gedeonis exemplum docet quid nobis faciendum ut pacis felicitate fruamur.

Legimus in Scripturis, Gedeonem, poſtquam aram extulit, quam ipſi præceperat Dominus, hanc *Pacem Domini* appellaſſe, ut innueret ſe aram illam extruxiſſe velut publicum pacis, quam ſibi conceſſerat Dominus, teſtimonium. Verum narrat Scriptura, illum ſimul decem ſecum aſſumpſiſſe viros, ut Idolum Baal everteret, & lucum eidem dicatum ſuccideret; cumque cœptis illius adverſarentur idololatræ, alios vocavit, qui ſibi ferrent opem ad hujus Idoli memoriam delendam. Altera ex parte Victor iſte Deo ſtatuit altare ob pacem ſibi conceſſam gratias acturus; ex altera vero falſis Diis extructas evertit aras: ut intelligamus, ſimulac corda noſtra emundavimus, & ex illis pacis aram fecimus, incumbendum eſſe ad verſionem Idoli Baal, videlicet ad affectuum, & incompoſitarum cupiditatum noſtrarum expugnationem; ne pax, quam cum illis ſancire poſſemus; nobis Jeſu Chriſti pacem eripiat.

Primus homo pacem amiſit originalem juſtitiam amittens.

Adam cum originali juſtitia creatus perfecta pace, ac tranquillitatem interiori ſimul, & exteriori gaviſus eſt, donec hanc retinuit juſtitiam, & imperiis Dei fidelis, ſubditusque permanſit. Sed pacem hanc amiſit innocentiam amittens, ac eodem temporis momento agnoſcens ipſum ſibi Dei inimicitiam conflaſſe, ſeſe abſcondit, ut illius ultionem effugeret. Ex eo creata omnia, quæ illi ſubdita erant, obedientiam detractarunt, eique bellum indixerunt. Senſit affectuum ſuorum rebellionem, ac deinceps nobis tamquam in hæreditatem reliquit hoc bellum, quod intra nos geritur, & quod Sanctus Paulus legem membrorum appellat legi ſpiritus noſtri repugnantem. Adeo verum eſt juſtitiam pacis originem eſſe.

Noe diluvii tempore in arca tranquillus imago eſt illius, qui inter funeſtiſſimos caſus tranquillus eſt.

Noe, juſtus ille vir, quem elegerat Dominus, ut per illum humani generis reliquiæ ſalvæ fierent, utque genus ipſum repararetur, magnam proculdubio habuit animæ conſtantiam, cum totius mundi vidit interitum, quin caſu funeſtiſſimo minime turbaretur, & conſternaretur. Profecto dici poteſt, arcam, ubi ſatis diu ille permanſit pacis fuiſſe perfugium; quippe omnia animantia, quæ ille Dei juſſu ibi concluſerat, pacata erant, vivebantque ſimul quantumvis naturali quodam inſtinctu ſibi diſſiderent; & ipſe inter fluctuum ſtrepitum, morientium clamores, ac univerſale rerum omnium, quæ erant ſuper terram, excidium, imperterritus, Dei ope confirmatus, permanſit. Hæc eſt figura pacis, qua vir bonus fruitur inter fortunæ ſuæ caſum, atque graviſſima infortunia.

Pax, quam Apoſtolis ſuis dedit Jeſus Chriſtus.

Pax, quam Jeſus Chriſtus Apoſtolis ſuis reliquit, pretium eſt mortis, & fructus reſurrectionis ejuſdem. Hinc illis hanc pacem non tribuit, niſi objiciens ipſis manum, laterisque ſui cicatrices, ut intelligerent, hanc ab illis recipi non poſſe, niſi per eaſdem artes, quas ipſe ad illam acquirendam adhibuerat; hanc nequaquam in molli tranquillitate, & languido otio conſiſtere, ſed in earum tolerantia, quas ipſi conſtanter pro Deo ferre debebant, ac in profunda ſubmiſſione, quam illius debebant imperiis. Documenta illius exemplis comprobata fuere, utque illos ad hæc imitanda diſponeret, dixerat illis Joann. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non turbetur cor veſtrum, neque formidet*. Quaſi diceret: pax, quam vobis relinquo, non poſita eſt in eo, ne patiamini, ſed ne inter paſſiones turbemini. Perſecutiones, quæ in vos excitabuntur, non erunt obſtaculum aliquod, quo illam poſſidere prohibeamini, ſi inter ærumnas Deum glorificaveritis, cui famulamini. Poſſidebitis illam, cum graviſſima ſupplicia animæ veſtræ æqualitatem non perturbabunt; cum adverſa omnia miniſterio veſtro inhærentia patientiam veſtram non labefactabunt, & vobis perſuaſum erit, totam hominis chriſtiani gloriam eſſe pati, ac voſmet beatos exiſtimabitis, cum vitam veſtram illi, qui pro vobis mortuus eſt, ſacrificare contigerit.

Dei filius Apoſtolos admonuit, ne turbarentur, & pacem inter mundi perſecutiones amitterent.

Alia in occaſione Salvator Apoſtolis ſuis deſcribens, quidquid paſſuri erant in mundo, ſub finem addit! Hæc omnia dixi vobis, ut in me pacem inveniatis: vos quidem in mundo opprimemini; verum confidite; ego enim vici illum. Quaſi illis omnibuſque fidelibus ſingillatim dicere voluiſſet, pacem, quæ illic juſtorum felicitatem conſtituit, nonniſi inter prælia contra mundum, & peccatum acquiri; nonniſi in ſtrenua omnium humanorum affectuum pugna inveniri & nonniſi poſt certamen conſtantiſſime decertatum, ut Apoſtolus inquit, æternæ vitæ dulcedinem guſtare non poſſe.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic Argumento.

Animæ magnæ, & ſolidis ornatæ virtutibus non ita facile pacem amittunt.

E*Rit ſicut flumen pax tua*. Iſaiæ 48. Iſaias Propheta ait, interiorem juſti pacem magno flumini ſimilem eſſe. Conjice aliquid in fluvium; hunc agitas, ſed ſuperficies ſola agitatur, & imæ partes ſemper tranquillæ ſubſidunt. Et quod mirabilius eſt, poſt levem hunc motum fluvius ſecum veluti in triumphum geſtat, a quo fuerat percuſſus. Anima generoſa, atque tranquilla fluvium hunc tamquam ſymbolum ſuum intuetur; *Sicut flumen pax tua*. Si quid illi ingratum, & injucundum nuntiatur, contingere quidem poteſt, illam primo ſtatim motu turbari; ſed hoc in ſpeciem dumtaxat, pars enim interior malaciam retinet: *Sicut flumen pax tua*. Hoc ipſum rivulo non accidit: ſtatim enim ac levi aliquo ictu percutitur, illico perturbatur, & ictus ipſe in imum uſque permeat limum agitaturus, quo aqua fit lutulenta. Abjectus ſpiritus rivuli hujus naturam imitatur; ſi qua afficitur contumelia, ſtatim exardeſcit, ac naturalem ſitum amittit. Exterior dolor cor ipſum pervadit, eumque illic nihil niſi limum inveniat, hunc agitat, atque corrumpit.

Affectus ſimiles ſunt ventis furentibus cor noſtrum, agitantibus.

Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt. Iſaiæ 57. Pax, de qua loquimur, in nobis conſtituitur per mortificationem affectuum noſtrorum, & per victoriam, quam ex illis reportamus: nihil enim adeo validum eſt ad beatam requiem gignendam, atque ſervandam. Quod venti faciunt in mari, hoc affectus in cordibus noſtris pariunt; illa enim motuum ſuorum vi agitare, & perturbare non ceſſant. Ita omnium primus, & periculoſiſſimus eſt. Ipſa apertiſſima eſt pacis inimica, & cum qua ſimul eſſe non poteſt. Ita cum nos rapit, furentes in nobis excitat tempeſtates, ac immediate animæ tranquillitatem evertit. Propria voluntas id ipſum propemodum facit; reſiſtentia irritatur, & quemadmodum ardenter fertur ad ea, quæ illi placent, tanto magis turbatur, quo majorem votis ſuis nanciſcitur oppoſitionem. Prava ſtudia, impuraque noſtra deſideria idem malum gignunt; nam quemadmodum gaudium oritur in cordibus noſtris, cum poſſidemus bonum, quod concupiſcimus; ita mœror, atque triſtia tunc dominantur, cum illud nobis negatur.

Quo in ſenſu Salvator dixit, ſe veniſſe non ad pacem, ſed ad bellum afferendum.

Non veni pacem mittere, ſed gladium. Matth. 10. Quamquam Dei filius princeps pacis appellari voluerit, eamque nobis per nativitatem, ac reſurrectionem contulerit; profitetur ſe in terras veniſſe, ut gladium non autem ut pacem afferret; proculdubio ut intelligeremus, ſi ex altera parte felicitas noſtra in hoc ſita eſt, quod cum Deo, & nobiſcum pacem habeamus, ex altera maximum, quod nobis accidere poſſit, malum eſſe pacem cum mundo; quia pax, quam fallax hic mundus nobiſcum icit, periculoſiſſimum eſt bellum, quod unquam ſuſtinere valeamus. Etenim ut cum illo conſentiamus, mores illius laudemus, inſtituta ſequamur, amplectamur ſenſus, ideoque Deo bellum indicamus, hunc hoſtem habeamus, eumque tumultum, quem in nobis affectus noſtri gignunt, experiamur, oportet. Jure igitur Dei filius venit bellum allaturus in mundum, ut cum ipſo, & nobiſcum pacem habere poſſimus.

Pax ab juſtitia ſeparari non poteſt.

Juſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Pſal. 84. Omnes pacem expetunt, & cupiunt: ſed heu! quotuſquiſque veram ingreditur viam, ut illam acquirat! Hæc autem via juſtitia eſt, inquit in hunc locum S. Auguſt. *Nolunt operari juſtitiam*. Plerique homines nihil adlaborant, ut virtutem hanc adeo ſanctam, & neceſſariam ſibi procurent, attamen fieri nequit, ut alterutra ſine altera habeatur. Ita donec anima affectibus ſuis ſubjecta eſt, ac ſequitur motus cupiditatum ſuarum, erat, atque vagatur, non igitur eſt in ſtatu juſtitiæ, ideoque pacem habere non poteſt; *Fac juſtitiam, & habebis* pacem; *duæ amicæ ſunt; ſi amicam pacis non amaveris, non te amabit ipſa pax, non veniet ad te*. S. Aug. in Pſ. 74. ait.

Cur Jeſus Chriſtus venit ſero, & clauſis januis diſcipulis ſuis pacem traditurus.

Cum ſero eſſet, & fores eſſent clauſæ, venit Jeſus, & dixit eis: Pax vobis. Joann. 20. Interpretes quidam myſterium non deeſſe putant in hoc, quod fores eſſent clauſæ, & jam ſero eſſet, cum Jeſus Chriſtus in cœnaculum ingreſſus eſt, ubi Diſcipuli congregati erant, illis pacem traditurus. Ut videlicet, inquiunt, intelligamus, Deum hoc nobis donum tunc tandem conferre, cum has fores clauſimus, per quas mors, ac tumultus in animas noſtras ingrediuntur; cumque pax iſta ſit merces laborum, qui præceſſerunt illam, ac diutinæ perſeverantiæ fructus, interdiu nobis eſſe adlaborandum, ut veſpere quieſcere valeamus. Attamen vix primos in viam virtutis greſſus protulimus, cum jam ad terminum perveniſſe vellemus: vix de mundi turbis, & agitationibus egreſſi ſumus, cum optaremus frui ea tranquillitate, qua fideles gaudent animæ, quæ ab ipſo vitæ ſuæ primordio ſeſe Deo conſecrarunt.

Cum Dei filius in animam venit, illuc ſuam pacem adfert.

In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Luc. 10. Non ſecus ac cum Salvator reviviſcens Diſcipulos ſuos convenit, dixitque illis: *Pax vobis*, eoſque hoc ipſum dicere juſſit, quotieſcumque domum aliquam ingrederentur: ita cum in animas intrat, ſtatim dicit illis: pax vobis, & quia omnipotens eſt verbum ejus, pacem optans eandem efficit, atque largitur; ejicit de corde tumultum; illas ſolido cumulat gaudio, affectus moderatur, inanes mulcet terrores, quibus ad propriæ infirmitatis adſpectum agitabantur.

Sunt impii, qui ita ſecuri ſunt, quaſi juſtorum facta habeant. Eccl. 8. Nonniſi frequentiſſime videntur impii ita tuto viventes, ac ſi mortalium omnium eſſent juſtiſſimi. Attamen quam infelix iſta felicitas eſt! & pax hæc quam turbulenta! Quomodo enim illam ibi invenire poſſunt, ubi non eſt, ac inter tot mala, niſi pacem affectuum ſuorum tumultum appellant? *Tam magna mala pacem appellant*. Sap. 14. Vel, ut Sanctus Auguſtinus aſſerit, in imaginatione ſua fallacem ſibi comminiſcuntur pacem, ut liberius ſuis vitiis indulgeant, & quod miſerrimum eſt, in hac pace adeo fallaci tuto quieſcunt, quaſi nihil ſibi foret metuendum. Sibi pro libidine conſcientiam concinnant; cupiditates ſuas æqua vocant deſideria, libidines ſuas innocua ſolatia, licentiam ſpiritus fortitudinem, ambitionem animi magnitudinem, utque omnia cum Sapiente dicam, *tam magna mala pace appellant*.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

P*Ax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris; conſortium charitatis*. Aug. Serm. 57. de verb. Dom.

Tale bonum eſt bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil utilius poſſideri. Idem, lib. 19. de Civitat. capit. 11.

Pax quid eſt? ubi nullum bellum eſt, ubi non eſt contradictio, ubi nihil reſiſtit, nihil adverſum eſt. Idem; in Pſal. 84.

Pax eſt tranquillitas ordinis, Idem, lib. 19. de Civit. cap. 13.

Pacifici in ſeipſis ſunt, qui omnes animi motus componentes, & ſubjicientes rationi, carnaleſque concupiſcentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, ut id, quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſque communia. Idem, lib. 1. de Serm. Domini in monte.

Pax eſt puræ mentis indicium manifeſtum. Idem, Serm. 169. de Temp.

Sicut nemo eſt qui gaudere nolit, ita nemo eſt qui pacem habere nolit. Idem, lib. 19. de Civ. cap. 12.

Qui pacem ſuſcipit Salvatoris, inimicitias contrahit mundi. Idem, in quæſt. quæſt. 92.

Pax Chriſti finem temporis non habebit, & omnis piæ noſtræ intentionis & actionis finis ipſa erit. Idem, tract. 104. in Joannem.

Tunc pax erit perfecta in nobis, quando natura noſtra Creatori ſuo inſeparabiliter cohærente, nihil nobis repugnabit ex nobis Idem, lib. de conſen. cap. 7.

Non eſt pax in hac vita; in cœlo nobis promiſſum eſt quod quærimus in terra. Idem, in Pſ. 48.

Qui veram pacem deſiderat, prius cum Deo habere conſueſcat. Idem, in Communibus Sermon. Serm. 8.

In iſta vita pax vera non eſt, ſed ubi gaudium immortalitatis, & ſocietas Angelorum promittitur. Idem, in Pſal. 33.

Serenitas quædam atque tranquillitas animæ quieſcentis, & univerſam tempeſtatem ac turbinem perturbationum fugans. Hieronymus, in Epiſt. ad Epheſ.

Tunc eſt pax Chriſti, hoc eſt, hæreditas nobiſcum eſt, ſi tranquilla mens nullis paſſionibus perturbetur. Idem, in Epiſt. ad Galat.

Quamvis plurima pace externa fruamur, ſi intra nos cogitationum naſcitur tempeſtas, tumultus & ſeditio, nihil externa pax nobis proderit. Cryſoſt. Homil. 34. in Geneſim.

Qui iræ ſervit, qui luxuriæ, qui ſuperbiæ, innumerabilem exercitum intus patitur; e contra vir bonus, qui omnia iſta contemnit, magna mentis tranquillitate perfruitur. Greg. lib. 4. Moral. c. 23.

Pravæ mentes tumultus intra ſe verſare non ceſſant, etiam cum vacant, & quamvis nihil faciant exterius, apud ſe tamen ſub pondere inquietæ quietis laborabant. Idem, lib. 3. Moral. c. 6.

Plena pax tunc erit, cum mens noſtra nec ignorantia cæcatur, nec carnis ſuæ impugnatione concutitur. Idem, lib. 6. Moral.

Dum in hoc mundo ſumus, a peccatis omnimodis non deſiſtimus, & quamdiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo, qui ſine peccato in carne vixit, non habemus. Idem, Cant. 8.

Tunc

Tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro anima judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur. S. Leo, Serm. 9. de Nativ.

Hæc eſt vera pax, a Dei voluntate non dividi, & in his quæ ſolius Dei ſunt, delectari. Idem, Ibidem.

Hoc expedit inferius ſubjici ſuperiori, agnoſce ordinem, quære pacem. Auguſt. in Pſal. 143.

Minus ordinata inquieta ſunt, ordinantur & quieſcunt. Idem, l. Confeſſ. 9.

Propterea dant ſibi pacem (impii) ut ſine moleſtia mundo fruantur. Idem, in Joann.

Inter benedictionis divinæ ſpecies, pax perfectiſſima eſſe videtur, cum ſtatus ſit mentem in temperie omnium ſtabiliens. Baſil. in Pſ. 28.

Non eſt pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, ſed in fervido & ſpirituali. Lib. 1. de Imitat. Chriſti, cap. 6.

Prima pax eſt. Cum Deo pacifici ſimus, deinde de nobiſcum. Sit ergo pacifica anima noſtra cum Deo, ut animæ noſtræ ſit ſubdita caro noſtra. Aug. Serm. 27. de Communib.

Pax eſt vita conſummati perfectique ſapientis. Idem, lib. 1. de Serm. Domini in monte.

Summus ſapientiæ finis ut ſimus mente tranquilla. Ambroſ. in Pſ. 118.

A te pacem incipe, ut cum fueris ipſe pacificus, aliis pacem feras. Ambroſ. lib. 20. Ep. 82.

Tranquillitas iſta tempeſtas eſt (loquitur de pace impiorum.) Hieronym. Epiſt. 1. ad Heliod.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum afferri poſſit.

Pax quid ſit, & in quo ſita ſit.

PAx generatim ſumpta ex D. Aug. de Civ. c. 13. eſt: *Parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio*; quod alibi paucioribus verbis ab eodem *Tranquillitas ordinis* appellatur. Definitionem hanc S. Thomas 2. 2. q. 29. art. 1. omneſque Theologi adoptarunt, eamque S. Aug. rebus omnibus applicat, ubi conſenſus requiritur inter varias partes, ex quibus componuntur. Sed pax eo in ſenſu, quo iſtic accipimus, non aliud eſt quam conſenſus, vel concordia interioris appetitus, omniumque motuum ejus in veri boni perquiſitione. Etenim, ut idem addit, qui oppoſita, & contraria vellet, qualia ſunt ſenſibus ſubjecta, atque ſpiritualia, hic cor pacatum non haberet neque in ſe ipſo pacem poſſideret.

Definitionis explicatio.

Qua in re animadvertendum eſt, pacis nomen duo neceſſario ſupponere, ordinem, & tranquillitatem. Ordo flagitat, ut res quælibet ſuum gradum, ac ſtatum naturæ ſuæ convenientem obtineat; utque hic ordo tranquillus, pacatuſque ſit, omni tumultu, atque agitatione carere debet. Hinc ſequitur, pacem effectum eſſe ordinis, & ibi, ubi ordo non eſt, ſubſiſtere non poſſe. Verum undenam hic ordo proficiſcitur? Dicendum eſt, effectum eſſe obedientiæ, quam homo adhibet legi Dei, quæ rei unicuique proprium aſſignat locum, efficitque, ut corpus pacifice animæ ſubjectum ſit, appetitus rationi, & ratio fidei; ut verbo me expediam, ut affectus numquam inſurgant, niſi per motum libertatis ejus, quæ numquam longe a Dei lege aberrat. Quamobrem S. Aug. idem ait, veram hominis mortalis cum immortali Deo pacem in fideli, ordinataque obedientia conſiſtere, quam ipſe præſtat æternæ legi Dei. Cum hæc deficit obedientia, invertitur ordo; violatur enim dependentia, ſimulque pax ipſa deſtruitur, & cuilibet peccatori particulariter accidit, quod olim Adæ, ut idem S. Doctor animadvertit. Cum enim Creatori ſuo ſeſe ſubmittere detrectaverit, eique per inobedientiam ſuam bellum indixerit, ſtatim vidit animam ſuam corporis tyrannidi ſubditam, quod ab eadem defecit.

Qui ex hac doctrina conſequatur.

Ex his omnibus primum inferri poteſt, quemadmodum pax eſt bonorum, & eorum, qui veri Chriſtiani ſunt, hæreditas; tumultum, & turbam partem eſſe peccatorum: etenim cum ſint inimici Dei, legis, & juſtitiæ illius, nec non propriæ ſalutis ſuæ, quærunt in hoc mundo pacem, ubi non eſt; & minus adhuc illam in ſeipſis invenire poſſunt, quippe cordis eorum tumultus juge tormentum eſt, & mala conſcientia vermis eſt illos depaſcens, ac ſævius, quam equulei, & faces, excrucians. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Iſai. 55. Deus ipſe ita nobis nullam eſſe impiis pacem teſtatur. Inferri ſecundo poteſt, cum pax ex D. Aug. non aliud ſit, quam tranquillitas, quam bonus ordo producit, cumque bonus ordo, & affectus ſimul eſſe non poſſint, quippe confuſionem hi ferunt, ubicumque ſunt, ibique diſſidia, & rebelliones excitant, neceſſum eſſe, ut inde procul pacem, & requiem ejiciant. Itaque affectuum mortificatio ita neceſſaria eſt, & cordium noſtrorum pax adeo eſſentialiter adhæret illi, ut hæc ſine illa nullo modo eſſe poſſit, neque citra temeritatem ſperari. Inferri poteſt, pacem effectum eſſe charitatis, & gratiæ ſanctificantis. Hoc S. Thomas ar. 3. ejuſdem qui aſſerit, & ait, charitatem, quæ cauſa eſt, ut Deum ſuper omnia, atque ex toto corde diligamus, efficere etiam ut omnes motus noſtros ad gloriam ipſius referamus, unde pax coaleſcit. Ad hæc nos etiam arctis amicitiæ vinculis proximo noſtro conjungit, quem nos amare jubet tamquam noſmetipſos propter Deum. Sed præſertim in nobis pacem producit per moralem certitudinem, quam nobis tradit Spiritus Sanctus, quod ſumus amici & filii Dei; quam dignitatem nulla nobis auferre creatura poteſt, & cum qua nihil nobis poteſt nocere, niſi permiſerit Deus, ſub cujus patrocinio verſamur.

Undenam oriatur domeſticum bellum quod affectus in homine ciet.

Deus, qui creavit hominem ad imaginem ſuam, auctor non eſt hujus defectionis, inteſtinique belli, quod geritur in hujus hominis corde per rebellionem partis inferioris contra ſuperiorem. Rei hujus origo peccatum eſt, quod hominem Dei inimicum efficiens, illum ſuipſius inimicum effecit, præſtititque, ut ratio in Deum, & appetitus in rationem inſurget. Inde oriatur magna illa affectuum turba, qui inſtar fluctuum agitati maris, in ſeipſos ruunt, & colliduntur. Et profecto, ſi homo pacem cum Deo ſervaſſet per voluntatis ſuæ cum divina voluntate concordiam, pacem in ſeipſo ſervaſſet; corpus illius ſpiritui ſubditum fuiſſet; & anima ejus ſemper tranquilla pleniſſima requie gaviſa fuiſſet. Sed violata cum Deo pace per rebellem voluntatem, omnia cum illo pacem perfregerunt; corpus quidem humorum pugna, anima interiori contradictione, appetitus defectione, & mox creata quælibet ſeſe contra hominem tamquam Creatoris ſui hoſtem armarunt.

Cur affectuum rebellio pacem noſtram perturbantium poſt etiam originale peccatum deletum vigeat.

Cum Jeſus Chriſtus per mortem, & paſſionem ſuam pacem, ac fœdus Deum inter, & hominem percuſſiſſet, atque hunc in priſtino honoris, & beatitudinis, quam ante peccatum habebat, collocaſſet gradu; quidquid per rebellionem amiſerat, homo recepit Dei pacem, & amicitiam recipiens. Verum eſt, rebellionem & partis inferioris contradictionem in anima Chriſtiani poſt Baptiſmum permanere, cum e contra in innocentiæ ſtatu corpus, & anima integra pace perfruentur; verum nihilominus hac in re nihil amiſit; cum corporis fragilitas pro pœnitentia, rebellio pœnitentiæ pro probatione, & utraque ſimul pro meritorum cauſa in illo permanſerint. Si morbi, ac mors corpori, & affectus animæ illius bellum inferunt: hæc prælia, ſi vult, non aliud ſunt, quam materia victoriæ, quam de illis quidem per patientiam, de his vero per reſiſtentiam contra tentationes poteſt referre. Itaque dicere poſſumus, noluiſſe Deum hos auferre inimicos homini, ne illum tot privaret coronis, quas eos ſuperando poteſt reportare. *Concupiſcentia in renatis manet in agonem, atque* [illegible] *ad coronam iis, qui fortiter reſiſtunt*, inquit Synodus Tridentina. Victoria referri nequit ſine pugna, neque pugnari ſine hoſtibus poteſt.

Anima ſervare poteſt pacem inter turbas, ac tentationes.

Quamvis tentationes, & tribulationes ſint individua virtutis experimenta, certum eſt tamen, animam divinæ gratiæ fidelem interiori pace frui poſſe inter has turbas, atque tempeſtates. Ideo monet Deus Eccl. 2. eos omnes, qui ſeſe illius cultui addicunt, ut animam ſuam præparent tentationi: *Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*; ut hac præviſa non turbentur, non obliti, cum Dei filius primus mundum devicerit, illos quoque integram habere debere in omnipotenti manu illius confidentiam. Arrhæ, quas præſidii ſui in Bibliis Sancti reliquit nobis, animas maxime pavidas confirmare debent; atque ut intelligamus, quomodo fieri poſſit, ut animam ſuam ſervet tranquillam inter furentis procellæ tumultum in juſtis duæ quodammodo animæ conſiderandæ ſunt; altera ubi reſidet Spiritus Sanctus per gratiam ſanctificantem, ac infuſas fidei, ſpei, & charitatis virtutes, altera, quæ ſedes eſt amoris proprii, concupiſcentiæ, & affectionum. Porro quantumvis vehemens ſit aliqua tentatio, per ſe nonniſi tumultum conjicere poteſt in hanc inferiorem animæ partem, cujus primi motus liberi non ſunt. Sed licet hæc obſtet agitatio, pars ſuperior ſemper permanere poteſt tranquilla. Et quemadmodum reipſa hæ duæ animæ, vel partes unum dumtaxat ſunt, atque ſola virtute ſeparantur; difficillimum eſt, quod alterius tumultus ad alteram minime permeet, & una tantum virtus eſt, quæ id prohibere poteſt pacem in ſuperiori parte ſervans, ubi numquam magis, quam in hujuſmodi agitationibus, eſt neceſſaria.

Pax quædam perfecta eſt, quædam imperfecta.

Perfecta, completaque pax ea eſt, quæ in perfecta ſummi boni perfruitione conſiſtit, qui quidem rationalis naturæ finis eſt; ſed ea, quam in hac via poſſidemus, eſt imperfecta. Nam licet præcipui animæ noſtræ motus in Deo quieſcant, tamen tot hoſtibus intus, & extra premimur, ut nonniſi imperfecte poſſidete valeamus pacem præliis permixtam, metuentes, ne victoria nobis elabatur; quamobrem S. Paulus ad Rom. 7. dicebat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Ars vera ſervandi pacem cordis.

Quemadmodum per obſervantiam legum, & fidelem executionem voluntatis eorum, qui præſunt, regna, provinciæ, civitates, familiæ ordinem ſervant ac pace fruuntur: ita per obedientiam Divinæ legi interiorem animæ pacem ſervabimus; huic inquam, legi, quæ jubet, nos præſto eſſe, ut omnia bonorum genera amittamus, & quævis patiamur mala, potiuſquam priventur gratia, & amorem Dei deſeramus. Operæ pretium eſt etiam animadvertere, communem charitatis gradum non ſufficere, ut oriatur, atque ſervetur pax, & hæc interior tranquillitas, de qua ſermo eſt. Perfectus amor unice hanc producere poteſt, & certum eſt, quo magis charitas hæc creſcit, & confirmatur, eo perfectiorem, atque tutiorem pacem efficere.

Inter pœnitentiæ lacrymas pace frui poſſumus.

Inter lacrymas, ac ſuſpiria pœnitentiæ, necnon inter veræ contritionis dolores triſtitia, quam gratia alia in occaſione pati non poſſet, in hac æqui, bonique fit; ſed pax quoque, & gaudium non ideo illinc exulant; quæ ſi minime adeſſent, fides non eſſent habenda turbatæ huic pœnitentiæ, atque inquieta contritio hæc ſuſpicione vacua eſſe non deberet; quandoquidem filius Dei pœnitenti Magdalenæ pacem largiturus eſt, tunc etiam cum ipſa ad pedes illius provoluta peccata ſua fleret, & S. Aug. aſſerit, pœnitentiæ lacrymas ſuaviores eſſe, quam gaudia, quæ in theatrorum ſpectaculis percipiuntur.

Pax non eſt virtus, & cur.

Operæ pretium eſt cum S. Th. art. 4. ſupradictæ quæſt. animadvertere, pacem proprie loquendo virtutem non eſſe; etenim, ait ille, ex Sancti Auguſtini ſententia, quodammodo finis extremi partem obtinet, & nulla virtus eſt, quæ pro extremo fine poſſit haberi, quia omnes viæ ſunt ad finem hunc adducentes. Quod ſi pacis præceptum adeſt, tunc jubetur quatenus actus charitatis, qui meritorius eſt, quatenus virtutis hujus cauſa elicitus, & quatenus fructus charitatis a Spiritu Sancto productus eſt.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus Argumenti.

In vita hac perfecta pace frui non licet.

ANima noſtra perfecte tranquilla eſſe, perfectaque pace frui nequit, donec in corpore clauditur, quod perenne illi bellum indicit. Mors una radicem jugium diſſidiorum ſuccidens inter utramque veram pacem firmabit. Interim certum eſt, quo magis in virtute proficimus, & ad chriſtianam perfectionem progredimur, eo magis ad beatam hanc pacem, ad quam anhelamus, accedere, & poſtquam vitia noſtra expugnavimus, rebelles affectus domuimus, ac diu in virtutum praxi perſeveravimus, nos Deo ita prope ſlevi, ut vitæ hujus tumultus, ut ita dicam, ad nos uſque pervenire nullatenus valeant. Profecto inæſtimabile hoc donum juſtis elargitur Deus tunc tandem, cum illos probavit viciſſitudine bonorum, atque malorum, quæ vitam eorum impediunt. Itaque ne miremini, Sanctus Chryſoſtomus inquit, ſi Dei promiſſiones ſero adimplentur, & ſi poſtquam plures annos fidelem illi ſervitutem ſeviiſtis, nondum perfecta pace fruimini: opus eſt probationum tempus tranſire: modo ærumnis afficiemini: ſed ſi in hac viciſſitudinum varietate ſublimiorem animæ veſtræ partem in tranquillo ſtatu retinueritis; niſi vos vel gaudium extulerit, vel mœror abjecerit, dabit certiſſime vobis illud abſconditum manna, quod vincentibus ſe daturum recepit: *Vincenti dabo manna abſconditum.* Apoc. 2. Conatus veſtros remunerabitur, quos exercuiſtis, ut inter tumultus, ac tentationes pacem ſervaretis, eam vobis largiens, quæ ſine labore, & moleſtia in animabus veſtris permanebit, cujus dulcedine ſuffundentur omnes illæ interiores facultates, in quibus tentationes tot turbas pepererant, & cujus ſecreta unctio omnes vitæ veſtræ amaritudines diluens vos tuebitur, confirmabitque iis in ſtatibus, qui in oculis mundi triſtiſſimi, ac moleſtiſſimi videntur. Ad hanc pacem ſupra ſenſus poſitam nos conſummata virtus adducit, & in illa mundi Salvator ſuos conſtituit Diſcipulos, hoc illis pretioſum conferens munus: *Pax vobis. Ex ſpecimine ſermonum pro Dominicis. Tom. 1. ſermone pro Dominica in Albis.*

Error credentium ſe pace frui nõ poſſe inter perſecutiones, quæ undequaque excitantur.

Quinam eſt error veſter, dum creditis, vos pacem recipere nullo modo poſſe, quia in hoc mundo alii vos angunt, & perſequuntur? Quomodo enim, dicitis, in eorum numero adſcribi poſſum, quibus Dei filius dixit: *Pax vobis*: donec inimici mei me perſequuntur, donec vi bona mea rapiunt, & calumniis ſuis nomini meo labem offundunt? Quomodo pace frui poſſum, languentem, miſeramque vitam trahens, tot vexatus incommodis, quæ nullam mihi requiem permittunt, atque perennium infirmitatum mearum pondere obrutus? Heu! Si Dei filius mihi pacem largiri vellet, numquid ſineret me tot inter acerrimas ægritudines lacrymas effundentem? Vix uno expeditus impedimeto, altero impedior. Numquid pax haberi poteſt tot inter turbas, & inter tot agitationes tranquilli eſſe poſſumus? O utinam intelligeretis, quinam ſunt characteres pacis illius, quam nobis Jeſus Chriſtus reliquit! Ærumnæ, tribulationes, & vitæ hujus mala non ſolum non vetant, ne pacem recipiatis; verum etiam e contra inter has pœnas, ac tribulationes pax in corde veſtro vigebit. Attendite veritati vos, qui ſub malorum vitæ hujus pondere gemitis. Vobis præſertim Jeſus Chriſtus hæc dirigit pleniſſima conſolationis verba: *Pax vobis. Ibidem.*

Suavitas, & gaudiũ quod Jeſu Chriſti pax in anima parit eã recipiente.

Quis dicendo explicare poſſet bona inæſtimabilis hujus pacis, quam Deus effundere oblectatur in animam illi recipiendæ præparatam? Quis poſſet penetrare animæ chriſtianæ ſecretum ob agnoſcendam beatam illam tranquillitatem, quam omnia ſimul creata perturbare non poſſunt, pretioſas illas conſolationes, quæ ex conſcientiæ bonæ teſtimonio proficiſcuntur, ſanctos motus, cœleſtes impetus, divinas communicationes, effuſiones gratiæ, vivas primæ felicitatis Adæ, & ſacrorum alloquiorum, quibus illum Deus dignabatur, imagines? Quis dicendo aſſequi poteſt, quidquid Deus operatur in corde, quod illius pacem accepit, & infinitos aperire theſauros, quibus illud auget? Sed quinam gratiæ tuæ mirabilia, o Deus, enarrabit; Dona tua toto cœlo mentem noſtram excedunt, & pax, quam nobis concedis, nonne verba, & ſenſus noſtros exſuperat? *Ibidem.*

Vera, & fallax conſcientiæ pax.

Nihil optabilius eſt pace conſcientiæ, & ſimul nihil ea formidabilius. Fallax conſcientiæ pax omnium vitæ hujus malorum malum eſt funeſtiſſimum, quemadmodum vera pax conſcientiæ bonorum omnium bonum eſt pretioſiſſimum. Ideo Dei filius, qui Apoſtolis ſuis dixit, ſe illis pacem tanquam locupletiſſimum donum præbere, dixit tamen in Evangelio Matth. 19. ſe in mundum veniſſe, ut bellum, non ut pacem afferret: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Et ſane nemo fidelis eſſe poteſt Evangelicæ legis obſervator, quin ſenſim recipiat beatam hanc pacem, quæ diuturnam parit in virtute perſeverantiam; quemadmodum nemo attentus eſſe poteſt verbis Jeſu Chriſti, quin funeſtam hanc amittat tranquillitatem, qua peccatores inter ſcelera gaudent, & quæ ſub ſuavitatis ſpecie maximam tegit omnium amaritudinum, ut inquit Iſaiæ cap. 38. *In pace amaritudo mea amariſſima.* Pax, inquit Richardus a Sancto Victore, vel ex animæ ſtupiditate, vel ex virtutis perfectione, vel ex conſummata in ſceleribus obduratione proficiſcitur. Chriſtiani hodie accuſari nequeunt ſtupiditatis; pauci etiam eorum in perfectorum numero recenſendi ſunt, quorum conſummata pietas efficiat, ne conſcientia eorum ullis tumultibus concutiatur; reliquum ergo eſt, quod pax, qua fruuntur, proficiſcatur ex crimine, quod illos excæcat, omnemque illis ſenſum aufert. Amor proprius nihil intentatum relinquit, ut ſimul & ſceleris dulcedinem, & requiem virtutis tueatur. Falſis imbuti ſententiis homines, quibus ſe ipſos decipiunt, artem inveniunt, qua ſimul & peccatores ſint; & nullis peccatorum ſuorum ſtimulis agitentur. *Ibidem pro Adventu, argumento ſecundo.*

Meritum & præſtantia pacis, qua boni fruuntur.

Quod Sanctus Auguſtinus hoc in argumento ait, certiſſimum eſt: omnes pacem deſiderant, omnes illam cupiunt, omnes flagitant: illi ipſi, quorum mores ab illa maxime abhorrere videntur, hanc ſibi pro fine proponunt. Quamobrem nullus dubito, quominus eorum omnium, qui me audiunt, ea mens ſit, inveniendi videlicet modum, quo dies ſuos in pace, & requie traducant; non quidem in hac ficta, fallacique pace, quæ in molli, laxiorique vita invenitur, ſed in ea, quæ reperitur in ordine, quem Deus ipſe conſtituit; pace, quam mundus ignorat, & quam diligentibus ſe, ſibique ſervientibus dare non poteſt: *Pacem mundus dare non poteſt?* pace, quæ fructus eſt puræ conſcientiæ, effectus tranquillitatis affectuum domi-

domitorum; pace tandem, quæ hodie rara eſt adeo non ſolum inter eos, qui in ſæculo vivunt, & mundi placita ſectantur, verum etiam inter eos, qui virtute præditi habentur, ac ſeorſim ab aliis vitam ducunt. Itaque cum Sancto hoc Doctore dicere audeo, pacem hanc quidem ab omnibus expeti, & exquiri; ſed pauciſſimos veras, certaſque ad illam acquirendam vias conſectati. *Abbas Trappenſis collatione ſecunda pro die Aſſumptionis Beatæ Virginis.*

Pax ibi non invenitur, ubi dominantur affectus.

Pax, ex D. Auguſtini ſententia, non aliud eſt, quam *tranquillitas ordinis*; & quemadmodum bonus ordo, & affectus ſimul non ſunt, quia cum hi confuſionem cieant, ubicumque ſunt, ibique diſſidia, ac rebelliones excitent, neceſſe eſt, ut requiem, & pacem expellant. Hoc in ſenſu inquit Scriptura, nullam impiis eſſe pacem, illis videlicet, qui ſuis indulgent cupiditatibus: *Non eſt pax, impiis.* Iſaiæ 48. quod non de illis intelligitur ſolum, qui id conſectantur, quod inter homines impietas appellatur; ſed generatim de illis omnibus, qui a Dei ordine recedunt, atque in vitæ ſuæ ratione nullum pietatis præbent indicium: quippe negantes Deo, quod illi debent, & violantes obedientiam; quam illi præſtare tenentur, graviſſimam committunt injuſtitiam; ita ut nullo modo habere poſſint pacem, quæ naturalis eſt effectus juſtitiæ. Ita vultiſne gaudere pace, quam quæritis, & optatis? ſumma officii fide voſmet in ordine Dei continete, ſequimini voluntates illius, efficite, ut moriatur in vobis, quidquid conſiliis ejus adverſatur; hoc eſt mortificate concupiſcentias veſtras, vitia veſtra, omneſque malos habitus, quos in mundi commercio contrahere potuiſtis, omnes illas animi ægritudines, quæ hactenus nonniſi procellas, ac tempeſtates in vobis pepererunt. *Idem.*

Pax, & requies in Deo tantum invenitur.

Sanctus Auguſtinus rationis ſuæ luminibus, & multo magis infelici ſua edoctus experientia, merito exclamat: Peragrate oceanum, terraſque, & quo vobis lubet, ite; attamen ubicumque fueritis, ſcitote vos infelices futuros, ſi aliud præter Deum quæſiveritis: nihil enim præter laborem, doloremque invenietis. Et alibi rationem adfert interioris hujus agitationis. Tu, Domine, inquit, pro te nos feciſti, & cor noſtrum nullam requiem invenire poteſt, niſi quieſcat in te. Qui in Domino quieſcit, & qui omnino ab illius pendet voluntate, quin fortunam mutet, fit beatus, certam facit pacem, ac tranquillitatem ſuam, & ſolide ſuam felicitatem conſtituit. Hic omnino ſuis dominatur affectibus, qui omnium turbarum noſtrarum ſunt cauſa. Hic omni caret invidia, quia cum nullo in diſcrimine omnes habeat dignitates, alienus honor illi negotium nequaquam faceſſit. Ambitione non afficitur, cum enim id unum expetat, Dei imperiis ſubeſſe, alios ſuis ſubditos intueri non cupit. Mœrore non perturbatur, infortunia quippe modo veluti divinæ juſtitiæ vulnera, modo veluti opus miſericordiæ, ſemper veluti effectus ejus voluntatis conſiderans, quæ ſuprema eſſe debet ſuæ voluntatis norma, numquam turbari, agitarique poteſt. Non timet ſuam ſibi elabi felicitatem, cumque hæc minime pendeat a bonis, quæ poſſidet, ab honoribus, & dignitatibus, quibus fruitur, quin illis adhæreat, ab illis divelli, eorumque jacturam facere non reformidat. Ita fortunæ ipſius mutatio felicitatis ejuſdem mutationem non gignit, & nunquam ſuam pacem, ac tranquillitatem amittit: *Abbas de Monmorel ſermone pro quarta poſt Epiphaniam Dominica.*

In terrenarum rerum poſſeſſione pax, & requies non invenitur.

Verum eſt; in mundo videntur hominis florenti fortuna gaudentes, & qui meritis, operibuſque ſuis majorem aliquando referunt mercedem: at ulline voti ſui compotes conſpiciuntur? Eſto quidem opibus, & honoribus diffluant, ac mundus ſe ipſum exhauſiſſe videatur, ut illos ad numeris omnibus abſolutam proſperitatem eveheret, verum num ideo contentum eſt cor eorum, nihilne ulterius deſiderant, beatoſne ſe putant, ac in ipſo felicitatis ſinu ipſam revera inveniunt felicitatem, & tranquilla pace fruuntur? Nonne e contra, Sanctus Chryſoſtomus inquit, in hujuſmodi ſtatibus pax infrequentius, ac difficilius reperitur? Nonne inter magnas opes magnæ acerbitates occurrunt? Quis eorum numerum recenſere poſſet, qui eo pervenerunt, ut eſſent calamitoſiores, utque ſuam infelicitatem apertius ſentirent? Attamen nihil reliquum fecerat mundus, quominus eorum ambitionem expleret, eoſque favoribus ſuis cumularet: ſed mundus ſimul favoribus ſuis immiſcuerat ſemina amaritudinum, quæ ab illis ſeparari non poterant & quæ brevi uberes doloris fructus erant paritura. Mundus illos opulentos, ac potentes efficiens, quidquid opis ſuæ erat, illis contulerat; verum non potuerat illis tribuere hanc ſaturitatem, hanc pacem cordis, ſine qua nec potentia, nec opulentia prohibere poterant, ne ſtatus eorum miſer eſſet, atque moleſtus. Quamquam felices viderentur, quot, quantaque deerant illis, ut eſſent? At enim illi ſibi tantum ſuccenſere debebant, inquies, neque enim infelices erant, niſi quod erant inſatiabiles. Ego vero reſpondeo: ſed cur licet mundi bonis cumulati, adhuc inſatiabiles erant? niſi quod, Sanctus Chryſoſtomus addit, hæc explorata, conſtans, æternaque veritas erat, mundi favores, quantumvis affluant, nunquam explere poſſe cor humanum, & efficere, ut inveniat pacem, & requiem, quæ in Deo tantum invenitur. *P. Girouſt in Adventu ſermone de Sanctis.*

Peccator nunquam fruitur pace.

Exploratiſſima veritas eſt, peccatorem nunquam frui pace; ſtatim ac ille affectuum ſuorum fræna laxavit, anima illius furenti procella agitatur. Triſtitia, incertitudo, pavor ſibi in illa ſuccedunt, quæ modo oppreſſa eſt, modo dilaniata, modo concitata. Vitia ſecum pugnantia ſuos habent obices, ſuoſque inimicos, eorum oppoſita negotia contraria popoſcunt conſilia, ſemet torquent, & fatigant, & quin invicem ſibi ſuppetias ferant, mutuo irritantur, & augent tumultum, qui eos comitatur. Peccator inter varia hæret anceps conſilia, plures ſibi proponit fines, & ab uno recedit, ut alterum amplectatur; eaſque experitur impreſſiones, quæ ipſum ad finem eumdem perducere nequeunt. Seſe in hanc partem vertit, ſed trahitur in alteram; ſeſe huic tradit objecto, at objectum aliud efficit, ut illum cœpti pœniteat; ſemper agitatus, victus, ſervus, nunquam ſibi æqualis, & conſtans, nunquam contentus. *Liber cui titulus: Animadverſiones in quaſdam religionis, Ethicaque argumenta.*

Deus unus cordi ſatis facere, eique veram pacem tribuere poteſt.

In nobiſmetipſis quædam experimur deſideria quibus ſatisfieri nullo modo poteſt; validam, vehementemque propenſionem, quæ nos ſupra ſtatum illum, in quo ſumus, attollit, quæ ad quemlibet obicem impatientia exardeſcit, & quæ nunquam invenit, ubi quieſcat, quia illi omnia ſe indigna videntur. Cum hujus ſtudii non aliud objectum ſit quam voluptas, quies, felicitas, quas anima in terris invenire non poteſt, in earum perquiſitione turbatur, & excæcatur, atque fallaces ingreſſa vias ut illuc perveniat, modo in ambitionem, modo in avaritiam, modo in prophanum amorem degenerat: quæ omnia, quin illi ſatisfaciant, eam magis irritant. Honores, opes, voluptates, & quidquid blandius illi exhibet mundus, poſſunt quidem rudi modo ad breve tempus eam fallere, ſed explere non poſſunt. Itaut quemadmodum inde judicium nobis ferendum eſt de infinita illius extenſione, fateri etiam debemus, eam nonniſi infinito bono, qualis eſt Deus, poſſe omnino acquieſcere. Inutile igitur eſt eas voluptates, & eam quærere felicitatem, cujus idea nos perperam decipit. *Ex libro cui titulus: Vitæ civilis officia.*

De fallaci pace, & lætitia impiorum.

Impiorum lætitia rapida eſt, quæ nihil habet durabile niſi triſtitiam, quam relinquit. Lætitia eſt perfida, deſinens in lacrymas; lætitia ſuperficialis, quæ cor ipſum non tangit, vel quæ illis extenſionem non implet: ea, quibus peccator egebit, erunt plura illis, quibus abundabit. Divites eſuriunt, Propheta Pſalm. 33. inquit, domus eorum plenæ ſunt, ſed cor inane: *Divites eguerunt & eſurierunt.* Voluptuoſi inter ipſas voluptates adhuc deſideriis conficiuntur; ambitioſus in ipſis honoribus inquietus eſt, & ſollicitus; orbis domitor dolet virtutem ſuam intra terrarum fines eſſe coarctatam, quæ ipſius cupiditati nimis anguſta videtur; & omnes deſperantes in mundo ſe inventuros id, quod inexplebili eorum ſatisfacere valeat deſiderio, naturam vel impotentiæ, vel crudelitatis inſimulant . . . . Igitur quam incomprehenſibile ænigma homo eſt? cur corde adeo magno ſenſus adeo humiles gerit? Cur mundi bona illius deſideria non explent, vel cur illius deſideria terrenis bonis occupantur? Nunquid æterna erravit Sapientia? nunquid eam vel terræ bona, vel cor hominis fallunt? Vel potius o Deus! hoccine fuit tui amoris conſilium? Ne hominem ſine te beatum efficias, univerſum terrarum orbem facis impotentem; atque homini oſtendens, ipſi non ſufficere mundum, eum fateri cogis, Deum ipſi eſſe neceſſarium: *Ex ſermone oblato Academiæ Gallicæ.*

Falſa mundi gaudia cordis Pacem non gignunt.

Mundani gloria ſuperficialis eſt; frontis quidem rugas delet, & faciei ſerenitatem inducit, verum ad cor ipſum uſque non penetrat. Mundanus felix eſt, cum extra ſe eſt, vel cum affectibus, quibus perturbatur, obnoxius eſt; ſed eo, quo ratio redit, momento, vel quo libertatis ſuæ poſſeſſionem recipit, ſtatim ac mundanus redit ad cor, & ſerio ſe ipſum excutit, ſtimulos invenit, vel ſaltem mœroris, ac triſtitiæ cauſas, quibus conficitur. Quot mortales poſt annos plurimos in omni

in omni intemperantiæ genere traductos confeſſi ſunt, ſe nunquam retundere potuiſſe ſtimulos conſcientiæ, quæ illos indeſinenter torquebat? Non deſunt alii, qui tranquilli videntur, & pacem ſe habere putant; verum quis ſcit, utrum cor illos mendacii redarguat, & utrum interiori lanientur vermi, qui frequenter adeo impios depaſcit? At cum fidelis pacem habet in corde, omnia illi pacata ſunt, & anima gaudet tunc etiam, cum ſæviſſimis cruciatibus corpus afficitur . . . Mundani lætitia pura non eſt, reus eſt, cui cuſtos aliquam permittit in carcere libertatem, & nugas ſuppeditat, quibus detineatur; ſed reipſa ſuas trahit catenas, ac timere debet, ne in ſingula momenta judex, & carnifex præ foribus adſint. Cum hoc terrore poteſtne eſſe contentus? & quodcumque gaudii percipit, nonne amaritudine repletur per moleſtos effectus, qui peccatum ſubſequi poſſunt? *Ex tractatu quodam de conſcientia.*

De Pace conſcientiæ.

Conſcientiæ pax hominem in adverſis ſuſtinet; impius ſtimulos habet, quibus in proſperis agitatur; cum ipſo thronum aſcendunt, illum inter voluptates ſequuntur, quibus eam affundunt amaritudinem, quam ſæpe digerere nequit. E contra vero conſcientiæ pax mala mulcet, atque ærumnis dulcedinem miſcet. Mala terribilia non ſunt, niſi cum ſecum gerunt ultricis juſtitiæ characterem, quæ punit peccatum; ſed cum conſcientia, quin nobis exprobret crimina ultionem hanc promerentia, inceſſanter in Dei bonitate, & miſericordia confidit, tunc malorum natura mutatur: horrorem, qui ea concomitatur, amittunt, neque haberi poſſunt deinceps, niſi tanquam ſalutaria documenta a Deo contra ſuperbiam tradita . . . . . Emundemus hanc conſcientiam, eique pacem reddamus; hæc vitæ amaritudines mulcebit, ac in ipſis adverſis tranquillos efficiet, & hilares. Si hanc poſſides, iis te replebit conſolationibus, quæ percipiuntur melius, quam concipiantur, & exprimantur. Bona, honores, mundi voluptates eas non habetis delicias, quæ cum illis valeant comparari, quas ſecum adfert Deus in animam, in quam ingreditur, & cui adhæret. Hæc Dei pax, quæ gratiæ, & gloriæ fons eſt, & quæ nos in hac vita, & in omnem æternitatem beatos efficit, deinceps unicum ſit noſtri amoris, noſtrorum deſideriorum, & affectionum objectum, *Idem.*

Extra Deum nulla vera pax eſt, nulla lætitia.

Quære ubi lubet, & invenies ſolam virtutis dulcedinem; bonæ conſcientiæ teſtimonium, & animæ pacem confirmare cor, ejuſque tranquillitatem inter hoc æſtuoſum mundi pelagus ſervare poſſe. Pietas a vitæ malis non præſervat, & paupertas ſæpius ſanctorum pars eſt, quam nocentium: ſed ſenctitas interius auxilium ſuppeditat, quod neque ex pravo ingenio, neque ex tyrannide mortalium pendet. Pax, quam illa præſtat, nullis eſt obnoxia tumultibus, fluminibus ſimilis, ſemper fluit, quamvis venti perflantes aerem perturbent . . . Conſcientiæ puritas ad pacem hanc conſtituendam omnino neceſſaria eſt. Rea conſcientia poteſtne perhibere nobis teſtimonium, quod utilitati ſit, atque ſolatio? Hoc ſi præſtat, dupliciter mala eſt, quod ſibi tunc etiam innocens videatur, cum ſexcentis eſt criminibus coinquinata. Illuſiones illius certiſſime diſſipabuntur, & fallacem hanc malaciam immedicabilis agitatio ſubſequetur. Bona conſcientia ſola eſt, quæ moraliter certos facere nos poſſit futurum, ut peccatorum veniam conſequamur; at ſi Dei verbis non loquitur, quidquid ait, eſt, inutile; ſola bona conſcientia nobis præbere poteſt hoc teſtimonium, quod noſtram tranquillitatem, & gloriam conſtituit. Facito quodcumque lubet; dum vitium, & peccatum regnant in conſcientia, vera pax haberi non poteſt. *Idem.*

Supremus rerum Dominus unicum æternæ felicitatis objectum non vult, nos vel uno momento ſine ipſo pacatos eſſe, atque felices. Creata omnia, quibus uti poſſumus, ut noſtris affectibus indulgeamus, ille in ſuppliciorum noſtrorum inſtrumenta convertit, omnia conſilia noſtra, quæ magis blanda ſunt, omnes noſtræ ſpes magis ſuaves phantaſmata ſunt, & inania ſpectacula, quæ fingit imaginatio, ut laboribus noſtris dulcedinem, quandam affundat. Omnes iſtæ voluptates, honores, bona, dignitates, quæ cupiditatem noſtram ſaturare debuiſſe videntur, noſtram augent miſeriam, & cupiditatem irritant. Deus ut injuſtam mundanorum ulciſcatur prælationem, permittit, ut quidquid videtur illos diutius tranquillos facere debere, eos inquietos, & infelices efficiat. Fruſtra Fortunam, vel honorem nobis tanquam felicitatem proponimus, hæc noſtra tormenta fiunt; fruſtra in voluptatibus beatitudinem collocamus; quidquid ſuavius, & jucundius eſt, non longe diſtat a nauſea, & nulla eſt lætitia, quæ in mœrorem non convertatur. Ita voluiſti, Domine, omnem animam in affectibus ſuis inordinatam, ac injuſtam ſuum ſibi eſſe ſuplicium. Haud ita; nemo in mundo felix eſt. Aliquis ſibi quidem felix eſſe videtur: ſed heu! ſi curarum illius, pœnarumque myſterium penetrare poſſes, ſub cortice hoc, ubi nil videtur, virtus, & corruptionem conſpiceres. Videres patrem offenſum filio, virum ab uxore diffidentem, amicum amico inſidiantem, videres ſub ſpecioſis integumentis pacta violata, prodita amicitiæ jura, affinitatis vincula fracta, arctiſſimas cognationes odio, & perfidia divulſas, & nitidiſſimas etiam fortunas omnem jucunditatem per eas, quas complectuntur, acerbitates amittere. *P. Maſſillon.*

Peccata præterita pacem & lætitiam peccatorum perturbant.

Quantumvis mundi illecebris, deliciiſque abditus ſit peccator, tamen præſentes, quas illic invenit voluptates, non ita animam illius occupant, ut aliquando ſaltem oculos non convertat ad præteritos ſuarum iniquitatum annos. Hi tenebrarum dies, quos abſumpſit, non ita ex animo illius elapſi ſunt, ut triſtem eorum recordationem ſecum tacitus aliquando non reputet. Importuna flagitioſæ vitæ ſuæ imago, quæ illum fatigat, ingens illa congeries criminum, quæ ſubinde per intervalla ſeſe illius obtrudunt conſcientiæ, majorem ſemper, quam antea, illi horrorem cient; quippe omnia illa ſcelera, quæ olim diviſis patrabat temporibus, uno oculi ictu intuetur. Tot gratiæ neglectæ, tot violatæ promiſſiones, tot prophanata Sacramenta, tot cœleſtes afflatus contempti, tot amica momenta vitio ſuo ſibi elapſa, tot infirmitates, de quibus gloriabatur olim, & quarum nunc illum pudet, totidem monſtra ſunt, in quæ peccator ne oculos ferme quidem auderet attollere, quin graviſſimo dolore, acerbiſſimiſque ſtimulis pacem ipſius perturbantibus conficeretur. Si præteritum reſpicit tempus, ſe præbet infelicem; & ut pacate imaginaria ſua felicitate fruatur, non cogitet, opus eſt, omni careat ſenſu veluti ſtupida animantia, & vita prorſus carnalis corporis ejuſdem rationem ipſius omnino vecordem efficiat. *Id. ſermone pro ſecunda Quadr. Domin.*

Nihil in hoc mundo perturbat pacem juſtorum illam in Deo collocantiū.

Ineffabilis Dei bonitas ſexcentas ſuggerit animæ fideli conſolationes in eo, quod mundanis negotium faceſſit: nihil eos terret, nihil moleſtia, vel dolore afficit, præter peccatum. Optima illos non tentat fortuna; graviſſima illos non ſternit adverſitas; nullo habet in diſcrimine ea mala, quæ mundi inconſtantia illis parere poteſt; ac ſine ulla perturbatione videt funeſtas mobilis hujus fortunæ vices, quæ in miſeris lapſibus, quos gignit, recentia ſemper mortalibus præbet ſpectacula. Hæc anima juſta ibi recenſionem quodammodo fieri videtur hominum prorſus terreſtrium, qui ſemper intenti ſunt, ut ſe ipſos fallant, ut ex alienis creſcant ruinis, qui ſemper bellum gerunt, qui nunquam pacem habent, qui in id ſolliciti omnes induſtriæ, ætatiſque nervos intendunt, ut competitorum ſuorum irritent conſilia, ut æquales poteſt terga relinquant, ut ſuperioribus coæquentur, nova ſemper ambitionis argumenta animo revolventes, ſemper agitati, numquam tranquilli. Hoc animæ juſtæ in præſenti mundi ſtatu conſiderant, & tot injuſtos, inutileſque motus admirantes, ſe beatas putant ea in tranquillitate, quam ſua ſibi comparat virtus; dum interim non ſine quadam miſerationis ſpecie vident mundanos triſtes, mœrore confectos, agitatos, quin unquam pacem inveniant, & quietis dulcedinem guſtent. *Idem.*

Abhortatio ad peccatores, ut quærant in Deo potius, quā in hujus mūdi bonis ſuā pacem & requiem.

Vos, o peccatores, qui inter has turbas, atque agitationes vitam traducitis, eamque ſecundum mundi placita conformatis, mementote fluxa hæc bona, quibus occupamini, inconſtantes has voluptates, quas conſectamini, ſocios eſſe infideles, quin ad aliquod tempus vos ſeducunt, & qui non multo poſt ſæviſſimis vos obruunt curis, ac funeſtiſſimis tumultibus laniant . . . . Numquid ergo tanta hæc mala negligere poteſtis? Cordi veſtro fallacis hujus mundi nihilum poteſt ſatisfacere? Cum illum ſerio conſideratis, quid ibi invenitis, niſi horridum meritorum, ac virtutum inane, atque juges agitatæ conſcientiæ amaritudines? *Idem.*

Fides, quæ adhuc in peccatore ſupereſt turbat pacem, quā in mundi voluptatibus invenire ſe putat.

Equidem ſcio fidem in corde ſimul cum peccato permanere adhuc poſſe: ſed fidei certitudo in hoc peccatore eſſe non poteſt, niſi fons curarum, acerborumque ſtimulorum, quibus torqueatur. Ubique fidei certitudo voluptuoſum hunc hominem torquet, qui ſenſuum voluptates cum mortificatione Chriſtiana conciliare non poteſt: avarum hunc torquet, qui toties videt amorem ſuum perituris bonis addictum; ambitioſum hunc torquet, qui contra Evangelii leges rebellat: ita ut hæc fidei certitudo, quæ omnes bonorum virorum curas mulcet, ac diſſipat, in vobis, o peccatores, tumultus, timores, & mœmores inſtauret, & hæc fidei lumina, quæ juſtis ſunt conſolationis fon-